


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
MA
38
A
29

Collegii Cam. ... soc. Iesu

Enarrationes IN APOCALYpsin, F. Claudii à monte Martyrum Carmelitæ, ac doctoris Theologi Parisiensis.

Preuide ac Prouide.

Cum Priuilegio Regis.

PARISIIS,
Apud Ioannem Maceum, in clauso Brunello, sub signo scuti Britannici.
1549.

B. S.

Extraict du priuilege du Roy.

IL est permis à Iehan mace marchant Libraire iuré en nostre vniuersité de Paris, contenant que puis peu de temps en ça, il a recouuert auec grât soing & labeur la copie d'vng liure sur l'Apocalypse de sainct Iehâ intitulé In diui Ioannis Apocalypsim & luculentæ & compendiariæ Enarrationes, Par frere Claude de Montmatre docteur en theologie. Lequel liure à esté veu & visité par des docteurs en theologie de nostre vniuersité de Paris. Lequel liure il vouldroit voluntiers faire Imprimer vendre & distribuer & mettre en vente & lumiere, mais il doubte qu'autres libraires & Imprimeurs le voulsissent pareillemẽt imprimer ou faire imprimer, vẽdre & distribuer que ledict suppliant. Pour ces causes auons dõné priuilege audict Iehan macé d'imprimer ledict liure cy dessus mẽtionné. Et deffẽce à tous Libraires & imprimeurs & autres de n'imprimer ledict liure iusques à cinq ans prochainemẽt venãs, sur peine de cõfiscation desdictz liures & d'amende arbitraire.

Par le Conseil.

Signe, De Balencronne.

REVERENDISsimo in Christo patri, domino Ioanni à Bellaio, tituli sanctæ Ceciliæ presbytero cardinali, & episcopo Parisiensi, necnon Aquitaniæ primati: frater Claudius à monte martyrum Carmelita fœlicitatem.

SVperiore anno, publico tum nostrorum tum exterorum conuentu (Cardinalis amplissime) importunis quorundũ precibus effectũ est, ut Beati Ioanis Apocalypsim, tot continentem mysteria quot uerba, interpretandam susciperemus. Quorum uotis cũ haud infeliciter satisfecisse uideremur, neq; nouæ postulationi locum aliquem relictum putaremus: efflagitarunt à me amantissimi studiorum theologicorum auditores, ut, quod uiua uoce excepe-

rant, in lucem emitterem, neque diutius sustinerem cæteros eo carere fructu, quem perceperant. Ego uerò qui nil temere edendum diuulgandumq́; putabam, nisi quod maturuisset: uidebar omnino id non facturus, nisi ad eã rem suasor quoque & author accessisset professionis nostræ generalis, uir ut bonis artibus eruditus, ita uirtutibus omnibus apprime instructus. Cui si non paruissem, amicitiæ præsertim caussa, immortalibus eius in me meritis haud aliqua ex parte satisfecissem. Itaque tum huius, tum communis utilitatis amore correptus, iuueniumque theologicorum precibus, (qui me non antè passi sunt conquiescere, quàm id muneris obirem) effeci quantum consequi labore & diligentia potui, ut enarrationum mearum commentaria in manus hominum (atque utinam prosperè)

ſpere) uenirent. Hunc *autem meum la borem (Cardinalis ampliſsime) quem tibi probatum iri confido, in tuo potiſsimum nomine apparere uolui: non eo duntaxat nomine, quod penes te ſit noſtræ domus prouincia, & in rebus dubiis paratum conſilium, (quanquam id ſufficere uidebatur) ſed & quia uſum mei tibi fore non agnoſcebam, niſi in ea facultate eſſet, quam tua benignitate, fauore, quibusq; potuiſti rebus ſum conſecutus. effecit & hoc ſingularis tua prudentia, amplitudóque honoris & magiſtratus quem geris, legationiſque munus, quo ſumma fide, diligentia, neque minore æquitate animi & conſtantia* Romæ *fungeris: poſtremò ſubiectá materia, ampliſsimi* Antiſtitis *nomine non indigna.* Dabis *autem mihi ueniæ locum, ſi non animi mei cogitationes, ſed a-*

liena sensa disertè non sim interpretatus : eòque gratior ad te ueniet & ad cæteros hic meus labor, quòd cum publica iuuenum utilitate tũ eorũ qui plurimum apud me poterant authoritate sit susceptus. Vale Cardinalis præstantißime, Luteciæ Parisiorum ex nostris Carmelitarum ædibus sexto idus Aug. anno 1549.

Ad candidum lectorem.



Ic labor, tua causa, Christiane lector, susceptꝰ est. Nequid igitur, in legendo tuum studiorũ cursum remoretur, sed cum fructu nostrates legere queas enarrationes, hæc duximus annotanda.

Varia in primis diuinarum reuelationum esse genera cõstat ex eo, quòd Numer. 12. scribitur: Si quis inter vos fuerit propheta domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. At non talis seruus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquar ei palàm, & non per ænigmata & figuras dominum videt. Vnde colligimus triplex esse visionum genus. Primum est corporalis visionis, quo obiectum aliquod, veluti cælum, solem, lunam, & cætera corporeis oculis contuemur.

Aliud est imaginariæ visionis, qua

rei imaginem, non autem rem ipsam contemplamur, & qua aliud quidpiam significatur quàm videtur, quæ nonnunquam dormienti cõtingit, vt Gen. 41. capite de Pharaone legimus, cùm per somnium vidit turgidas spicas, & crassas boues; & de Nabuchodonosor in somniis conspiciente lapidem præcisum sine manib⁹: ac diuo Petro, quadrupedia & serpentia per somnium vidente. Aliquando verò vigilanti; vt de Mose legimus Exod. 3. qui vigilans, apertisque oculis conspicatus est rubum ardentem, nec tamen adustum. Porrò hæc visio non electis solum ac piis viris communicatur, sed etiam reprobis, vt ex prędictis perspicuum est. Nec necessum est eum cui huiusmodi obuenit visio, suam intelligere visionem, quemadmodum de Pharaone & Nabuchodonosor verum deprehendimus, quorum alteri Ioseph, alteri verò Daniel propheta visionis intelligentiam præbuit.

Tertium verò genus visionis est intellectualis, quando scilicet detegente ac reuelãte spiritu sancto res in se intelli-

telligitur citra sui figuram aut imaginem; quandoquidem liquidò constet nullam prorsus sui figuram aut formã sibi persimilẽ habere: huiusmodi sunt Deus, Spiritus, mens, &c.

Hinc deducendum hanc diui Ioãnis visionem imaginariam extitisse: quia ea quæ ei reuelata sunt, typis, figuris & demũ schematibus intuitus est, non tamen eorum intelligentiæ expers.

Deinde obseruabis, illa sacrorũ vatum oracula, hanc quoque Apocalypsim, interdum ad præsens, nõnunquã ad futurum, aut certè præteritum accommodari seculum. Idque vt facilius deprehendas, tibi sunt consulẽdi tum veterum tum recentiorum annales. Hæc tamẽ Apocalypsis (vt omnis prophetia propriè dicta) futura spectat. Hic enim miris figurarum inuolucris veluti digito quodam præmonstrare dignatus est Iesus Christus, quæ à sua passione in mundi finem vsque suis futura erãt ecclesiis, verbi dei scilicet felicem cursum & victoriam, acerbas ac atroces iustorum persecutiones, insignes quoque eorundem victorias, Draconis

conis insuper, & Antichristorum, atque omnium pietatis hostium crudelẽ tyrannidem, irritósque eorum conatus. Demum Christi deuictis ac contritis hostibus, eiusdem victoria, ac seculi futuri triumphus & gloria sublimi describitur stilo.

Obserues igitur solicitè, temporis à Christo passo vsque in mundi finem articulos & mutationes, & multo facilius huius Apocalypseos peruestigabis arcana.

Sciat præterea prudens lector, quædam in visionibus addi quæ non exigunt aliquam peculiarem interpretationem, (non enim sub omni lapide iacet scorpius) propterea quòd non ob aliud admisceantur interdum, quàm ob figuræ sublimitatem: atque ideo nihil aliud quàm summatim germanus ac verus sensus petẽdus est: quod & suo admonebimus loco. Neque enim pertrahendæ sunt omnes rerum natiuæ proprietates ad allegoriam, sed tantũ quæ manifestiora sunt, & quæ plus ad sensum efficiunt sub illis latentem eruendum, veluti in auro pretium, in lapidi-

bus

bus pulchritudo, ſpecies, ac ſoliditas: quorum proprietates, ſicut nec numeri nimis anxiè aut ſuperſtitioſe ſunt obſeruãdæ. Quidam enim loci ita obſignati ſunt, vt eos vix vllus vel quantumlibet perſpicaci ingenio pollens, reſerare poſſet, maxime ſi ſtandum fuerit in numerorum exacta determinatione, & abſoluta proprietatis rerum cognitionē.

Satis igitur tibi ſit, in his ſenſus ſummam ac ſcopum vtcunque ſaltem attigiſſe.

Demum obſeruandum eſt, vnum ac idem crebrò diuerſarum rerum typum eſſe, vt Angelus aliquando Chriſti, plerũque angeli cęlitus miſsi, quandoque etiã eccleſiæ miniſtri typum gerit. Sic cælum nõnunquã militantē, nonnunquam triumphantem deſignat eccleſiam. idem enim ad diuerſa aliquando refertur ſecundum eius diuerſas conditiones: quandoque etiam ad contraria, vt leo interdum Chriſtum, interdum verò Diabolum ſignificat.

Habenda eſt etiam præ oculis hæc venerabilis Bedæ regula, quòd ſcilicet

ea quæ Christi capitis sunt, plerunque illius corpois (quod est ecclesia) attribuuntur: & ex opposito quæ corporis sunt, Christo capiti nonnunquam adscribuntur. Pari etiam modo de Satana sentiendum, & ipsius corpore, ecclesia scilicet malignantium.

Hæc si diligenter, memoriæ commendaueris, (optime lector) non parum conducent (mea quidem sententia) ad intelligenda parabolarũ, somniorum, & visionum mysteria. Sed iam præfari desino. Interim (candide lector) laborem nostrum boni consule: ac ex animo Vale.

IN ENARRATIONES
Apocalypseos Index alphabeticus, A primã faciẽ folij indicat, b secundam.

A

Animalia

Apostoli.

Bonis

Chriſtus

Execra ri-

Habere

H

Hypocritarum

I

Ioannes

L

Librum

Nouata quo-

O

Poteſtatis

R

S

Statuti

Væ,

V

Vincen-

FINIS.

Ad grauissimum Carmelitan instituti moderatorem Generalem Parisien. domus Carmelitarum studiosa iuuentus.

In iussu reserata tuo monimenta prioris
Nostri, præclarum sunt paritura decus.
Vt tibi, qui stimulos celebri virtute dedisti:
Sic illi aridio qui graue struxit opus.
Gaudia sed nobis magna cum messe resultāt
Vtilitas doctis omnibus inde venit
Plus tibi deuinctos ideo nos esse fatemur,
Quā breuis hæc paucis charta referre queat
Pectus habet reliquū p qđ tibi fausta p̄camur
Omnia, nos simili postea more uiuei.

ERRRATA.

Errata in carminibus in pri.li. En loco.in. lin.4 lege studio pro aridio.

Folio.2.b.li.24.lege aperiũda. Fo.7.b.le. Gal.2.fo.16.b.li.24.le.spẽ.fo.25.b.in margine lege preciosissimi fol 25.b.leg. lin.20. hinc.fol.34.a.lig.7.leg.minui.fo. 35.a.le. in margine historiã, vacat autẽ & subsequẽs.fol.36.b.vacat.q̃ oĩbus suis secundũ fol.50.b.leg.lin.12.ast.fol.59.a.leg.lin.3. marte..fol.67.b.lin.1. post habet le.fidẽ & fo.64.b.leg. lin.25.oculos fo.76.b. in marg lege vincendũ.fo.69.b.vlti. lin.leg. colorẽ.fol.70.b.loco id est,lege scilicet fo. 72.b.in marg.leg.secundũ fo.76.a.leg.sũt li.21.fo.90.b.in marg.leg.verbi.fo.94.b. lege humanã li.21.in subsequẽti vero linea vacat tãquã fo.96.a.vlt.li.leg. prædictos impostores fo.99.a.li.22.leg.insulse f. 103. b.in mar.post corporũ adde gloriã fo.118. b.lin.21.leg.mendaciis,fo.123.b.linea.14. leg.prodierunt fo.125 a.li.12. leg.qua finẽ fo.126.a.li.21.iustis.fo.128.a.li.14.le.diuinitatẽ,fo.144.b.li.3.le.vidẽtes. fo.165 b. li.12.leg.tribuet.fo.183.b.lin.25 post.eos leg.tantũ.fo.197.a.lin 2.leg. ac bestiæ fo. eodẽ vl.lin.leg.illarum.fo.199.a.linea.16. leg.prætextu.fo.197.b.li. 2. post filiorum addas & præcedens enim vacat,fo.242. b.lin.24.leg.expetendum.

Carmen Elegiacum in commendationem operis.

Extulit Hesperidum pomaria flaua vetustas
Est mirata tuos fertilis Hybla fauos.
Diuitis Admeti celebrarunt pascua vates,
Ipse suis apibus clarus Hymetus erat.
Scripta sed herculeos inter retulere labores:
Angue quod Hesperidum poma negante tulit.
Cedat prisca fides, sūt hic tibi, quotquot Hymetus
Pascit apes, quicquid procreat Hybla thyimi.
Sunt verè Hesperidū pomaria cōsita nobis.
Diuus Ioannes qua bene septa dedit.
Præfectus custos huic frater Claudius horto est;
Qui regit Heliadū candida tecta patrū,
Qui cōstās fidei assertor, qui martyr & ipse
Martyribus sacro de vertice nomē habet,
Ille est qui reserat clausa, & qui claudit aperta
Ostia, & hæc seruat nocte diéque vigil.
Non huc Alcides admittitur, hunc procul arcet

Hesperidũ vigilans illc dracone magis
Nõ hæc Titanum proles sæuißima mõstra,
Porcorum ne greges lædere septa queant.
Christicola hæc lector soli tibi limina adire,
Phæ est, mellifluos hĩc tibi carpes fauos.

Apocalypſeos
LIBER I.

PROOEMIVM.

Summariè obſeruanda.

Primum, Apocalypſis quid, vnde, cui facta, ad quid, & pro quibus.
Secundo, quis Ioannes.
Demum, quæ prophetiæ commoda.



POCALYPSIS *Ieſu Chriſti*. Subaudiendũ, hęc eſt, ſitque ſenſus: hæc eſt à Ieſu Chriſto facta reuelatio, ſiue de Ieſu Chriſto. Quo doctrinæ genus primò declaratur, cum inquit, Apocalypſis, ſiue reuelatio, quæ eſt prophetica viſio. Reuelationis autem huius inſinuatur etiã author cum dicit, Ieſu Chriſti, aut eius ſcopus, qui eſt

Christus: isq; non vnicus, sed suo cum corpore, quod est ecclesia. Et sic est de Iesu Christo, aut de iis quæ eius sunt. Sed quid sibi vult hoc nomē græcum apocalypsis, præ cæteris solum, quod tralatū aut mutatum, haudquaquam fuerit, potissimū cū libri istius tota series græcè cōscripta fuerit? Huius sanè rei caussa alta mente reponenda est, æquáque statera pōderanda. Prior quidem ratio est, quòd huius codicis sit titulus & præscriptio. partim etiam ad huius voluminis excellentiam, & eorū quæ palàm fiunt mysteriorum aperiundam sublimitatem sepositum est. Ita & in Græcis & Latinis voluminibus pleraque Hebræa vocabula relinquuntur inuersa, qualia sunt Alleluia, Amen, ídque ob eorum & præstantiam, & nominum per breuitatem. Pari siquidem gratia euāgelium è Græcis excerptū codicibus nouatum non est. Hæc autem vsqueadeò præcellens reuelatio Ioanni est credita. promulgata tamē antea lege euangelica, ad prænūciandum futurum ecclesiæ statum ad seculi consummationem

Apocalypsis nomē cur nō tralatum.

tionem

tionem vsq;: quemadmodum lege dei per Mosen data, superuenerunt prophetæ qui successurum Iudæorum synagoge statum prædicerent vsque ad Christi aduentū. Quòd verò infimam inter noui testamenti codices sortita sit sedem, quòd etiam Ioannis euangelio, & si prior descripta, postponatur, id cōsultissimè effectum est. Nam noui testamēti ordinem veteri oportuit correspondere, vt perfacilè hunc in modum deprehēdes. In veteri itaque testamento sunt libri legis, quibus è regione astipulatur euāgelium. Sunt qui historias referant, quibus arrident apostolorum actus. Alij verò sunt Sapientiæ libri: quippe qui nos sapientiam edoceant: quibus coincidūt Paulinæ & Canonicæ epistolæ. Reliqui sunt prophetarum, qui illis diuinitus demandata oracula complectantur. Qui licet ordine postremi, excellentia tamen facilè priores. Et his quadrat hæc Apocalypsis, serie quidē postrema, præstātia verò & dignitate multo superior, quoniam de Christo Iesu, & ab eodem deprompta, vt sequens

Apocalypsis quare nouissimo reponatur loco inter noui testamēti libros.

cõprobat textus. *Quam dedit illi deus palàm facere seruis suis.* Id est, hãc apocalypsim primo & immediate de9 pater Christo homini dilucidauit & detexit, ea tamen lege, quòd eam seruis suis veris fidelibus esset promulgaturus. Dicit primo deum ei reuelasse vt homini, & hoc secundum intellectum creatũ qui dono creato & creata itidem sapientia illuminabatur. Accepit igitur Christus omnia à patre vt homo, multa interim ignoraturus subducta diuina illa reuelatione, qua ab eo assumpta humanitas edoceri solita erat. Dicit præterea diuinæ voluntatis intentionẽ, qua deus Christo reuelauit, in eum scopum tendere, vt secũdariò & finaliter suis seruis enodetur, Christianis scilicet. Seruus autem dei & Christi est, qui illius est addictus volũtati. Quo ex loco habes non esse obsignanda huius prophetiæ verba, sed Christiano populo esse aperiunda, vt fidem faciunt Christi verba Ioannem alloquẽtis. Ne obsignaueris (inquit) verba prophetiæ huius, siue ne celaueris. Est igitur admodum

Multa Christo homini reuelata.

Reuelãda apocalypsis.

dum vtile, & deo acceptissimum hãc interpretari explanare ac patefacere ecclesiis dei:etsi non desint qui in interpretum diligentiam & sedulitatem inuehant, eámque non parum vehementer calumnientur, in hæc aut admodum similia prorumpentes verba: En prophetam qui dei mysteriorum se asseuerat habere sciẽtiam. De quibus omnino verissimũ fit illud Christi ad scribas & pharisæos: Nec ipsi intrant, sed (prò dolor) nec alios ingredi sinunt in huius prophetiæ sensus profunditatem. Sat nobis sit cum deus optimus maximus velit eam reuelare. Daturus est autem secundũ nostræ fidei mensuram. Non sunt igitur audiendi suo more garriẽtes. Verùm enimuero maximopere est exorandus deus quatenus palàm faciat quæ ei pater adaperuit ad suæ ecclesiæ nõ paruum commodum. Faciet verò, si paruulos, id est, humiles nos præstiterimus: quia à sapientibus ea abscondit, paruulis reuelans. Sed percontaberis forsan, quæ tandem sunt tam & inuisa & inaudita omninóque sub- *Orandus deus.*

sunt, quæ hoc libro deteguntur my-
steria? Audi. *Quæ oportet fieri cito.* Id
est, ea q̃ reuelauit pater cœlestis Chri-
sto vt seruis suis palam faciat, sunt illa
quæ oportet fieri cito, id est, iam du-
cunt exordium, persecutiones. scilicet
nominis Christi, & eius ecclesię. Nam
& cũ hæc describeretur apocalypsis,
sæuissima instabat à tyrannis perse-
cutio, à Domitiano scilicet, & id ge-
nus quamplurimis aliis. Compendio-
se igitur de quibus hac in reuelatio-
ne agatur denũciat, nempe de iis quæ
citò fieri opus erat. Et sic huius libri
scopus est, Christi & eius ecclesiæ nõ
modica persecutio ad seculi vsq; ter-
minationem, quæ & diuersa erit se-
cundum temporum immutationem.
Et licet iamdudum auspicata sit, non
est tamen mox discessura, sed vsq; ad
mundi cõsummationem perdurabit.
Neq; aliquo pacto fieri potest, vt quæ
hic promulgantur, suum finem asse-
quantur minimè, certóque incidant:
cum dicat oportere fieri cito, quasi di
cat, indeflexo & irreuocabili dei de-
creto sancitum est, vt fiant quæ fieri
oportet

Finis apocalypsis.

Irreuocabile Dei verbum.

oportet. Vides igitur (ô pie lector) nil in ecclesia Christi extra dei præscriptum & beneplacitum incidere: vnde tibi in aduersis planéq; deploratis rebus maximum cõsolationis relinquitur argumentum: certò cogniturus te non nisi dei nutu quicquam esse passurum. Ex hac prima parte procœmij habes quid apocalypsis, à quo, & cui reuelata, quibus sit reuelanda, & de quibus sit reuelatio.

SECVNDA PARS PROOEMII.

ET *significauit mittẽs per angelũ suum seruo suo Ioanni.* Quia dei decreto statutum est, ea ecclesiis aperiunda esse quæ Christo reuelauit pater, hinc quò exactius fiãt omnia, nedum angelorum, sed & hominum Christus vtitur ministerio, vt ex contextu colligere facillimum est, cum dicat, *Significauit*, siue reuelauit ea quæ oportet fieri cito, Ioanni, angelico ministerio. Vnde habes diuĩa mysteria spiritussancti instinctu, prorsus seclusa *Deus hominũ & angelorũ vtitur ministerio.*

exteriori & reali apparétia, nonnullis palàm fieri, aliis siquidem per somnia, cęteris angelico ministerio, vt hic, sed non absq; imaginaria visione, de qua in inscriptione videre est. Eleuato igitur & spiritu rapto Ioanni apparuit angelus domini. cuius beneficio effectum est vt nedum audiret, sed & videret typis & figuris ac schematibus quę citò fieri deberét, & dei ecclesiæ innotescere. Et quibusdam sigillis imaginũ clausit, obfirmauit, atq; hanc adumbrauit Apocalypsim. ideo interpretum aliqui significauit pro sigillauit vertunt: ne scilicet studiosis parui fierent, & indignis diuina panderentur sacramenta. Neque minus profecto obsignauit deus quæ typis & schematibus prophetis annunciauit, vt in Ezechielis primo capite, & aliis de ciuitate sancta verissimũ deprehendimus. Quòd si prophetas ob eorum subobscuram dicendi phrasim haud abiicimus, neque hic liber erit proscribendus, dicente Hieronymo: Quot sunt verba, tot itidem sunt sacramenta. Vtraque igitur interpreta-

Ioannes raptus.

Quare signata apocalypsis.

tio

tio & pia & ſana erit,ſi legas, Chriſtus ſignificauit Ioanni, id eſt, ſigillauit vel indicauit. Quis ille Ioânes,cui angelico miniſterio reuelauit Chriſtus, ſequitur, *Qui teſtimonium perhibuit verbo dei, & teſtimonium Ieſu Chriſto,quæcunque vidit.* Id eſt, ille eſt Ioannes qui teſtatus eſt de verbo dei,& de Ieſu Chriſto , & de omnibus quæ audiuit & vidit.Ex hoc paſſu ſatis liquet eum eſſe Ioannem mirum in modum à Chriſto dilectum , apoſtolum ſcilicet & euangeliſtam,cum apertius & ſplendidius eo de verbo dei nullus ſit atteſtatus, eo inquam docente, In principio erat verbũ,&c.Et illius prioris epiſtolæ capite primo inqt: Quod erat ab initio: quod audiuimus: quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ,teſtamur,& annũciamus,&c.Quod licebit etiã perfacilè animaduertere, ſi eius verba & dicendi modũ propius inſpexerimus, in euangelio ſcilicet, & eiuſdem epiſtolis , vbi ampliſsimũ & grauem eorum quæ audierit , & intuitus fuerit, ſeſe exhibet teſtem . Ex antiquorum

Ampliſsimus teſtis Ioan.

etiam exacta sententia hoc peruium euadet, qui vbi de scripturarum vtriusque testaméti canone agunt, etiam Apocalypsim inter canonicos recésent: vt Hieronymus in inscriptione Regum, & in ad Dardanum epistola. Icé August. i lib. de doctrina Christiana. Origenes super primum psalmum arridet, & Tertullianus libro aduersus Marcionem. 4. Iustinus martyr, Beda presbyter, Irenæus Lugdunensis, Theophilus Antiochenæ ecclesiæ antistes, vt refert Eusebius libro ecclesiasticæ historiæ 4. cap. 24. Cyprianus martyr in symboli expositione, Haymo, Rupertus, Albus, Ioachim, & innumeri alij, & horum accurato iudicio accedit & ecclesiæ fides. Quem enim habemus Ioannem Cæsaris iussu in Pathmos relegatum, vbi apocalypsim scripserit iuxta historiarum fidem, nisi húc à Christo perdilectum discipulum? Persuasum igitur habeas illum Ioannem apostolum & euangelistam esse, qui hanc contexuerit Apocalypsim, hoc habens ex procemij secunda parte.

Quis apo. scripserit.

TERTIA

TERTIA PARS PROOEMII.

B*Eatus qui legit & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea quæ in ea scripta sunt. tempus enim prope est.* In hac procemij tertia parte huius sublimis prophetiæ vtilitas ostēditur, dū qui eam legit & audit, beatus censetur, non quidem in re, sed in spe. Ideo subiunxit. *Tēpus enim prope est.* Præmij scilicet, & beatitudinis illius qui audit & seruat ea quæ in ea scripta sunt. Non autem illius qui solummodo audit: quia non auditores legis, sed factores iusti sunt apud deum: & beati à Christo dicuntur, qui audiunt verbum dei, & custodiunt illud. Tu verò (candide lector) quò beatus efficiaris, hūc cæterumque dei sermonem legens & audiens, deum ex animo depreceris vt orationem habeas meditationi adiūctam. Talis inquam sit oratio; vt mens tota in deum feratur, eam illi committens: & ab eo solo viuum sensum, ipsissimámque spiritus intelligentiam efflagites: memor

Huius prophetiæ cōmoda.

Quis beatus.

Interim illius Danielis verbi, Deus in cælo reuelat mysteria. Huic ergo se totū credat & deuoueat Christianus lector. Tum enim fiet vt dei sermonis lectio illi pergrata euadat, & degustabit quam suauis est dominus. Et vt semel dicam, Spiritus suauitate allectus non parū gestiens in hæc verba prorumpet, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, &c.

FINIS PROOEMII.

Summarium.

1. *Salutatione præmissa, de Christo præstātißima describit, reuelationis præambula enarrans.*
2. *Primam exorditur visionē præcipuam, qua Christum sub tropis vidit admirandis.*
3. *Christi visione attonitus cecidit, consolationem ab eo mox recepturus.*

Incipit

Incipit Caput
PRIMVM.



OANNES *septem ecclesiis quæ sunt in Asia.* Cùm hæc apocalypsis vna sit epistola, non solum Asianis, sed omnibus christi fidelibus emissa, primò præmittitur salutatio, cui multa inseruntur. Primò, scribentis nomen, secundò qui salutati, tertiò quid illis optet, quartò vnde id illis, quītò quædam de domino nostro Iesu Christo eximia subiungit. Duo quidem priora prædicto in textu habes. Quis verò ille sit Ioannes, ex supradictis didicisti, Ioannem videlicet esse illum electum apostolum: cui quoniam Asia minor in ministerij euangelici sortē obuenerat, quæ sibi fuerant vniuersarum Christi ecclesiarum gratia reuelata, concreditis sibi Asianis primùm scri-

Quorum sit saluti magis insudandũ. psit, sicut à christo mãdato acceperat. Hinc habes q̀ etsi omnibus veram salutẽ expetere & præ optare tenearis, maxime eorum tamen est saluti inuigilandum, qui nostræ sunt fidei peculiariter commissi. Quòd vero hæc aliis ab Asianis demittantur, ex conclusione secundi capitis perspicuum est, cùm dicat Ioannes. Qui habet aures audiendi, audiat quid dicat spiritus ecclesiis. *Gratia vobis & pax.*

Gratia quid. Gratia dicitur quicquid sine meritis & mere gratis datur: vt ad Co. 2. dicitur: q̀ si ex operibus, iam non ex gratia, Sicq; præ optat dei dona, quibus homo gratus deo efficitur, & ab eo acceptatur. Sumitur igitur gratia dei pro omni eius munere, maxime tamen pro gratificante: vnde sequitur

Pax qualis. pax quæ talem æmulatur & insequitur gratiam. Si enim adfuerit gratia que est spiritus dei arrabo & pignus, mox & intrĩsecus & forinsecus omnia trãquilla sunt. Est igitur hæc pax nõ quidem mundi, sed animi fide iustificati vera tranquillitas. Hinc Esa. 32. Opus iustitiæ pax. Ita vt talis sit ordo

& nexus: Ex fide ſequitur gratia prima, ex gratia iuſtitia, ex iuſtitia verò pax & animi tranquillitas. Ex oppoſito iniuſtis & incredulis non eſt pax, prout dicit Eſa.48. & 57. Non eſt pax impiis, dicit dominus. Hac autem gratia effulgẽte ex inimicis amicitiæ creatoris ſumus conciliati, ex impiis pij effecti, ex ſeruis peccati in iuſtitiæ filios adoptati. hinc Pau. Iuſtificati autem ex fide pacẽ habemus per dominum noſtrum Ieſum chriſtum. ad Romanos. 5. Quia in ſolo chriſti regno eſt vera pax cum ingenti lętitia, vt dicitur ad Romanos 14. Regnũ dei iuſtitia, & pax & gaudium in ſpiritu ſancto. Pſalmo 41. Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis. Sic pax noſtra dicitur ad Ephe.1. quia per eum pacem habemus. Et Eſa.32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. Et.66. Ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis. ſcilicet ſuper eccleſiam per Hieruſalem ciuitatem adumbratam. Hanc precari voluit euangeliſtas chriſtus domibus familias quas ingrediebantur, & dicẽ-

Vbi vera pax.

re, Pax huic domui. Mat.10. & Lūc.10. Quam & angeli terris annunciarunt. Ita etiam dominus noster Iesus Christus postquam à mortuis resurrexerat, apparens discipulis, eam multoties commendabat illis dicens. Pax vobis. Luc.24. & Ioan.20. Sese autem mutuo complectuntur gratia & pax in regno Christi. vnde Ephe.4. dicitur: Solliciti sitis seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Sic inter hæc duo quædam est fraternitas, & indissolubile vinculum, vt à se diuelli haudquaquā sināt. Superest vero videre á quo effectiue aut meritoriè hanc gratiam & pacem illis exoptet Sequitur. *Ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Quia solus deus est qui ex se delet peccata, gratiā enim & gloriam dabit dominus, ideo ab eo optat, qui est æternus, ita vt semper fuerit, sitque futurus. Porrò quia dicitur ab eo qui venturus est, & nulla à Christo sit vētura persona, ideo quidam ad Christum referunt, à quo vt deus est, gratia emanat effectiue, & pax: sed vt redemptor est, gratia & pax meritoriè. Et hoc pa-

A quo gratia & pax.

cto ab eo vtroque modo dicitur esse gratia & pax effectiue & meritorie, prout in eo duplex est natura. sed quia immediate sequitur, & à Iesu Christo: nō videtur hæc pars ad Christum referenda nisi secūdum quod deus est, & alia subsequēs secundum quod homo & redemptor: vt scilicet prior gratiā exprimat à Christo effectiue, subsequēs vero denotet eam esse meritorie. Et sic paucis colligēdo, per Christū gratiam & pacem habemus, quam nobis ab eodem omnibusque ecclesiis exoptat. *Et a septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt.* Id est a septiformi spiritu, de quo Esa. Et requiescet *Esa. 11.*
super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris domini. Propter enim septem dona spiritus sancti dicitur ipse septiformis spiritus. Et illis septem donis formaliter & intrinsece, dicitur deo gratus homo. Intrinsece dico, quia extrinsece à deo effectiue. quasi igitur dicat, Affecto ex animo & deprecor vt vobis im-

partiātur septem spiritus, id est, omnigenea spiritus charismata, idque a summo spiritu. Vbi vero vobis donata fuerint, & vobis erunt gratia & pax. A suo enim fonte hæc charismata spiritus nomen sortita sunt. *Et in conspectu throni eius sunt.* id est illi sunt acceptissimi. Nam in dei cōspectu esse nil est, quàm illi gratissimum fore. Quia verò illa vniuersa spiritussancti dona & charismata hominē deo pergratum efficiunt, ideo dicuntur in conspectu throni eius esse. Quia vero hic locus & arduus & sub difficilis est, fiet hæc intelligentia, scilicet, Precor ego Ioannes vt vobis sit gratia & pax per collationem septem donorum siue charismatum omnium spiritus sancti qui per septenarium adumbratur numerum. Quæ quidem dona reddūt hominem deo acceptissimum, & eam ob caussam in conspectu dei (vt superius paulo diximus) esse dicūtur. *Et à Iesu christo.* scilicet merito Christi. vt iam prædictū est, quia hæc spiritus sancti dona Christi merito impertiuntur. De plenitudine enim eius omnes accepimus

In conspectu dei esse.

accepimus. Quare dicitur datus illi ſpiritus non ad menſuram. Et plenus gratia & veritate: vt origo omnis gratiæ nobis collatæ merito dicatur. vt deus quidem effectiuè, vt Chriſtus verò meritoriè. Cur autem à Ieſu Chriſto hanc quam vobis peropto gratiam & pacem expectare debeatis, ſequitur ratio. *Qui eſt teſtis fidelis.* Id eſt verax in promiſsis. Et quia promiſſum eſt Abrahæ, In ſemine tuo benedicentur omnes gẽtes: ideo Chriſti merito ſperare debemus gratiã & pacem. Ipſe enim eſt teſtis, ſicut innuit Ioan. 18. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Nimirum ille eſt, de quo Eſa. 55. Ecce teſtem populis dedi eum: ducem ac præceptorem dedi gentibus. Et is eſt qui dicit Hierem. 26. Ego ſum iudex & teſtis, Quia autem teſtis eſt fidelis, ideo pater dicit: Hic eſt filius meꝰ dilectus: ipſum audite. eſt enim ipſa veritas æterna. Inter hæc autem Chriſti inſignia, (quæ paucis enumerat) fidelis teſtis dicitur, fons videlicet & ſcatu-

Fidelis teſtis Chriſtus.

rigo nostræ totius fidei ac fiduciæ in Christo. Hoc in vno articulo sita & fundata est, quòd scilicet est verax in verbis, & stet ꝓmissis, quippe qui mẽtiri non potest. Cúmque summe sit fidelis & verax, ideo Græcis præponitur articulus, qui hoc loco emphasim habet, ὁ μάρτυρ, ὁ πιστός. Ille testis, ille fidelis. Ostẽdit hinc Christum testem summum, modisque omnibus fidelem esse. *Primogenitus mortuorum.* Siue ex mortuis. Aliã in mediũ caussam adducit, quare nobis exoptet gratiam & pacem mediante Christi merito, siue à Iesu Christo: quia videlicet est primogenitus mortuorum, id est, primus resurrexit ad immortalitatẽ, nunquã postea moriturus. Et per hoc quòd primus resurrexit, tanquam resurrectionis spiritalis & corporalis initium, idcirco ab eo speranda gratia & pax, quæ vtranque resurrectionem spiritus scilicet & corporis electorum insequuntur. Hinc Paulus ad Romanos inquit. Ipse mortuus est propter peccata nostra: sed resurrexit propter iustificationem nostram. Dupléxque

nobis

nobis commeruit bonum. Nam primum sua morte meruit, vt moriamur peccato, & in nobis minimè regnet. Sua demũ resurrectione vt ad gratiam resurgamus, & iustificemur. Cum igitur sit primogenitus, id est, primus resurgens ad immortalitatem tanquam caussa vtriusque resurrectionis, ab eo expectãda est gratia & pax. Quia verò pacẽ dei electis affectabat, quibus tamen maxima futura erat persecutio, quam prædicere volebat ecclesiæ, ne pertimescerent electi ipsos persecutores ecclesiæ, siue reges, siue principes, sed potius è regione ipsi principes Christum reformidarẽt & deum, qui tãtę est potestatis, vt posit & corpus & animam mittere in gehẽnam: ideo de Christo aliud subiunxit insigne. *Et princeps regum terræ.* Quasi dicat; Ipse est auctor pacis animi, etiã corporalis, cum ei libuerit, quia princeps est regum terræ: tum quia cor regis in manu dei, & vobis nocere non possunt etiam corporaliter, nisi permiserit, omnésque reges terræ quantumlibet magni & sublimes, illi col-

Quid sua passione nobis meruit christus.

Christus super omnes.

lati, vermis sunt, & ipse super omnes est, regétq; eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringet eos. psal. 2. Ne ergo metuerent electi regum & principum terrę persecutiones, in ecclesia Christi in finem vsque futuras: propterea in ipso statim salutationis exordio prædicit Christũ esse regum terræ principẽ, quasi dicat, Nolite extimescere eos qui occidunt corpus, sed eum timete, qui potest corpus & animam mittere in gehennam ignis. Ad hæc, fortiori vtitur ratione vt à Christo hanc gratiam & pacem esse expetendam commonstret. si quidem quia suprà modum dilexit nos, vt ex effectu sit perspicuum: hinc subiungitur: *Qui dilexit nos, &c.* Summa, inquam, dilectione, quia maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et vt bonus pastor animam suam posuit pro ouibus, vt sequitur: *Et lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Lauare idem est quod redimere. Et in sanguine, id est in morte. De hac enim dilectione dicitur ad Ephesęos quinto. Quomodo

Non pertimescendi ecclesiæ persecutores.

do

do Christus dilexit ecclesiã eius sponsam, & seipsum tradidit pro ea, vt exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, sine ruga & macula. Quo autẽ ordine suo in sanguine nos lauerit, apostolus indicat, dicens, Rom. 6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sum⁹. Sed obiicies: multi sunt quos non lauit Christus in suo sanguine: quales sunt infideles, reprobi, &c. Vulgaris quidem & trita responsio atque fidelis est, quòd omnes redemit sufficienter, & si non efficaciter. Sufficiens enim est eius passio: sed oportet vt applicetur per fidem Christi, aut sacramenta, quemadmodum nec parata medicina infirmum sanat, nisi accommodatam & appositam sumat. Interim danda opera ne semel abluti, iterum inquinemur huius seculi sordibus, alioqui huiusmodi ablutio non modò nõ prodest, sed maximè officit & nocet, prout docet diuus Petrus. 2. Pet. 2. Si refugientes coinquinationes mũdi in cognitionem dei & domini nostri Iesu Christi his rursus impliciti superãtur, facta sunt

Lauit oẽs Christus.

Semel abluti, secũdo non polabamur.

eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat non cognoscere viã iustitiæ, quàm post cognitionem retrorsum abire. Contigit enim illis illud prouerbij, Canis reuersus ad vomitum suum. Et Ecclesiasti.34. Qui baptizatur à mortuo, & iterũ tãgit mortuum, quid profuit ablutio eius? Non igitur lauit nos Christus, si iterum addicti huius seculi voluptatibus sumus. Et hoc efficaciter, & si semper sufficienter: prout sequitur, *Et fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo.* Quædam græca exemplaria habent βασιλεῖς, id est reges, sed in vetustissimis legimus βασιλείαν, hoc est regnũ: quod & nos sequimur. Sed quomodo fecit nos regnum? Regnũ quippe dei per Christum efficimur, dum per eum ipsum regnum intra nos est, ac ipse in nobis vere regnat. Nos verò sui spiritus efficacia regnamus super peccato, morte, & inferno. Quo tandem modo verè per Christum regnat in nobis, pater, filius, & spiritussanctus: quia in nobis & habitant & operãtur: & sic deus & nullus alius in

Reges.

nobis

nobis regnat. Hinc dicit, Fecit nos regnum deo & patri suo. Cum autẽ patrem nominat, filium aut spiritum sanctum non secludit, quippe qui cum patre sunt vnus deus. Porrò nedum regnũ fecit nos deo Iesus Christus, sed & sacerdotes, non quidem ministeriales, sed spirituales, vt nostra sint spiritalia sacrificia. huius enim sacerdotij victimæ sunt, exhibere corpora nostra hostiam viuẽtem & impollutam, nósque illi sacrificare, mortificãtes & crucifigẽtes in nobis veterem hominem, & offerre sacrificiũ laudis. Hæ veræ sunt nostri sacerdotij victimæ. Et hoc modo omnes christiani cuiuscunque sexus debent esse sacerdotes, tamen hac tempestate sunt perpauci tales. Dicitur itaq; Christus nos sacerdotes fecisse, quia eius exemplo, sicut seipsum obtulit pro nobis deo patri, ita quilibet christianus debet seipsum offerre deo hostiam viuentem, vt Ro. 12 dicitur. *Ipsi gloria, & imperium, in secula seculorum. Amen.* Cui gloria, nisi ei qui nos reges & sacerdotes fieri voluit? Et ei cui nos reges & sacer-

Sacerdotes.

dotes effecit? Filio videlicet & patri, vbi planè vtriusque intelligimus charitatem, quæ est spiritus sanctus. Et sic deo & toti sanctæ trinitati gloriã tribuit. Frequẽter hæc repetit diuus Ioannes in hoc apocalypseos libro, ostẽdens frequens ac perpetuum Christi fidelibus esse, vt deo gloriam ab omnibus & pro omnibus reddi cupiant, omne datum optimum, & donũ perfectum, a patre luminum descendere sentientes. Postquam hæc splendida de Christo scripsit, q̃ maximè ad christianorum & Christi martyrum consolationem faciunt in eorum persecutionib⁹, quas prędicere volebat Ioannes: nunc alia de Christo excellentia subnectit, quibus metum & terrorem tyrannis & martyrum occisoribus incutiat, quia persequentes eius ecclesiã, & in eius membra supra modum sæuientes, Christum etiam persequũtur: vt ex eo dilucidum est, quod Paulo dictum est: Quid me persequeris? *Ecce venit in nubibus.* Quasi dicat, Dei præscriptum, ac decretum (& si de futuro sit) vsqueadeò certum est,

ac si

ac si præteritū aut præsens esset. Qua de re crebrò prophetæ præteritum & præsens futuri loco vsurpant, vt cum dicit Psalmista, In omnem terram exiuit, pro exibit etiam nostro in instituto dicitur: Ecce venit, pro veniet in nubibus: vt quantum eum reformidare debeant eius ecclesiæ persecutores, aperte commonstret. In nubibus itaque venturus dicitur, vt nubes eius gloriam impiis abscondant. non tamen eius maiestatis potentiam, non enim sunt visuri impij gloriam Christi, vnde Esa. Et non videbit domini gloriam. & post pauca. Domine exaltetur manus tua ne videant. tandē quasi seipsum corrigens propheta, Videant (inquit) & confundantur zelātes populi tui, & ignis tuos hostes deuoret. Ex quo patet impios visuros quidem Christum in eorum & horrorem & cōfusionem, sed nō gloriam Christi in eorū cōsolationem. At hic forsan percōtaberis: Quales tunc erunt nubes, an pluuiis irrorantes, terrámque perfrigerantes? Minimè quidem ad hunc finem apparebunt nubes, sed

Quare præteritū & præsens futuri loco vsurpent.

Quare in nubibus venturus Christus.

tempeſtuoſæ, ignem ſpirantes fulmina euoment, hominibus timorem ac tremorem iniicientes, maximè tamen impiis, idque in vindictam, vt dicitur 2. Theſſ. i. Quomodo veniet Chriſtus in flamma ignis dantis vindictam iis qui non nouerunt deum. Et teſte Pſal. Ignis ante ipſum præcedet, in circuitu eius tempeſtas valida. Sicque omnem creaturam armabit deus in peccati vltionem: igitur & nubes in quibus veniet: vt etiam dicitur. 1 Theſſ. 4 & Act. 10. *Et videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Omnis oculus. i. omnis creatura rationalis cui iudiciũ ineſſe poteſt. neque enim bruta reſurgent, aut eum videbunt. Et ne ſecludi videantur qui ei contradixerint, vniuerſi ſcilicet tam eius quàm ſuorum ſeruorum ac eloquiorum dei perſecutores, arbitrati ſe dei iudicio haud adfuturos: ideo ſubiunxit: Et qui eum pupugerunt. i. afflixerunt & cõpunxerunt. *Per eum.* Omnia quæ illius ſunt intelligas oportet, quib9 verbis pietatis hoſtes huius iudicii præmonitos vult eſſe, ac ſi diceret, Inſpicite,

Ignem ſpirabũt nubes iudicij tẽpore,

cite, o impii & scelesti, qui tantopere sæuitis, quibus pro deliciis est crudelitas quā in Christum & eius electos exercetis: venient quippe dies quibus & inuiti eum iudicem ferre cogemini. *Et plangent se super eum omnes tribus terræ.* Id est, quotquot ex omnibus terre tribubus Christum & suos pupugerūt, plangent. Sed quid? *Se*.i.incōmoda & mala propria. qualia verò incommoda? *Super eum.* id est, Christū. Plus itaque Christum deperditum miseri deplorabunt quàm atrocissimum quoduis suppliciū. Sicque pœna damni eis erit grauior pœna sensus, vt testatur dicens Chrysost. Multi abhorrent gehennam: ego autem multo magis timeo excidere à gloria, etiā si quis poneret mille gehennas, Sic demum super seiunctum & semotum ab eis Christum plangent ac deflebunt omnes impij. *Etiam, amen.* Quasi dicat, Ita, ita, Fiat, fiat. Videtur enim esse ad prædicta iustorum responsum, eò quòd cupiāt sancti iudicij tempus, maximè cum absoluta eorum sit futura beatitudo, & quia tunc consumma-

Aderūt iudicio & aduersarii Christi & suorum.

Pœna dāni miseris pœna sensus grauior.

Cupiunt sancti iudicij tempus.

buntur omnia ad Christi immensam gloriam, omnibus inquam eius hostibus perinde ac vas figuli cōfractis ac contritis. Si verò expostules, quî fit vt vnum grecè, aliud verò hebraicè positum, sit? mea quidem sententia idcirco effectum est, vt omnes gentes (per Græcos & Hebræos nōnunquam adumbratę) intelligant ac persuasum habeant, oportere dei iudicio illos adesse. *Ego sum α & ω principium & finis, dicit dominus deus, qui est, qui erat, & qui venturus est omnipotens.* Hæc sunt verba angeli Ioannem alloquentis in Christi persona, quia prædixerat Christum ad iudicium venturum, vt mundo finem imponat. Id enim facere suæ est potestatis, cum sit deus & homo vt deus est, affirmat se omnipotentem: vnde id potest quod pollicetur præstare. Subinde asserit se principium & finem, quasi dicat, Consentaneum est illum, qui principium & exordium est omnium, metam & finem eorum esse. His enim duabus literis vult illud exprimere, alpha quidem prima est Græcorum litera ω,

Qui omnium est principiū, erit & finis.

mega

mega verò nouissima. Prima, ideóque principium: vltima verò finem designat. Principiũ quidem se dicit, quia ab eo omnia. Finem verò, quia cum omnia eius sint, sic & in eum tendunt vniuersa. Tandem concludit deum omnium esse finẽ, Christo ad iudicium veniente: sicuti certò scimus vniuersorum eum fore originem. *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patiẽtia, in Christo Iesu.* Vt agnito scriptore fidelissimo, maiore susciperentur affectu à cunctis quæ dicturus erat, & ne ab impostricibus subducerentur doctrinis, secundò fratrem eorũ per Iesum Christum proponit, vt etiam amoris exuberantem zelum, & eorum omnium salutis curam se habere commonstret, & subdit. *Particeps in tribulatione,* Quæ perpetua est veritatis comes, & eorum qui pie in Christo viuere volunt. Hæc autẽ adducit ad eorum consolationem, qui persecutionem patiebantur. q.d. Si & nos qui cũ Christo fuimus, variis examinari cruciibus videtis, hoc vobis sit cõsolatio-

Tribulatio veritatis indiuidua comes.

ni, idque vobis robur adiiciat, gaudiúmque adferat: quia & si passionum socii fuerimus, socii erimus & consolationum, vt sequitur. *Et regno.* Quasi dicat, ideo particeps sum regni, per spé quam sicut anchoram habemus, penetrantem vsque ad velaminis interiora, quia sum & tribulationis particeps. quasi dicat, hic est ordo à deo præscriptus & constitutus, vt gloriam præcedant crux & humiliatio. oportet enim per varias tribulationes introire in regnũ dei. Act. 14. Cum autem in his necessaria sit patientia, quæ Christiani opus perficit, dum ne in aduersis à veritate discedat, animam conseruat, donec regnum dei attingat, hinc dicit etiam se patientiæ participem, sed in Christo Iesu, quod ad omnia particulariter referri potest, quòd scilicet sit frater, hoc est in Christo Iesu: quòd verò in tribulatione, hoc propter Christũ Iesum. Quòd regni particeps per spe sit, est per Iesum Christum demum: quòd & patientiæ particeps sit, hoc ex Christi merito & dei dono, qui non permittit nos tentari supra

Spe participes sumus regni dei.

Gloriam præcedit crux.

Patientiæ opus.

ſupra id quod poſſumus ſed cum ten-tatione facit prouentum. Sic Chriſtus in Paulo interius operabatur cum di-cit, Omnia poſſum in eo qui me con-fortat Chriſtus. Addit præterea tria hæc, qualis ſcilicet eius ſit tribulatio: quale Chriſti in eo regnum, & tãdem qualis eius patientia. *Fui in inſula quæ appellatur Pathmos.* Suæ tribulationis exordium, proſcriptionem fuiſſe aſſe-rit, qua actus eſt in inſulam, quæ Pa-thmos dicitur. Eſt autem exigua in-ſula in Aegeo mari, vna Sporadum. Cuius autẽ imperatoris iuſſu in exi-liũ actus ſit, diuerſa eſt ſententia. Ter-tullianus enim duobus in locis aſſe-rit eum à Nerone in Pathmos relega-tum, eo tempore quo ille Petrum & Paulum Romæ interemit, & hic vici-nus erat apoſtolorũ temporibus. Hu-ius eſt etiã ſententiæ Euſebius in li-bro de demõſtratione euãgelica. His videtur potius aſſentiendum & cre-dendum, etſi in chronicis & eccleſia-ſtica hiſtoria lib. 3. dicatur id ſub Do-mitiano cõtigiſſe, quam Hieronymus & alij plerique inſequuntur ſenten-

Non tentamur ſuprà quod poſſumus.

Cuius edicto in exiliũ actus ſit Ioan. varia eſt opinio.

tiam. Siue autē huius, siue alterius iussu proscriptus fuerit, nil aut sanè parū refert, certò habentes eum relegatum fuisse in insulam illam in qua hanc & vidit & scripsit apocalypsim. Quia verò pœna martyrem haud efficit, sed caussa: ideo sui exilij rationem aperit. *Propter verbum dei, & testimonium Iesu.* Prout docet Petrus, Nemo vestrū patiatur vt fur aut homicida, sed vt verus christianus, quia beati qui persecutionem patiuntur, non quidem simpliciter, sed propter gloriā dei, & nomen Christi. Ex prædictis colliges qualis sit huius reuelationis locus, nēpe exilium: & quis eius status cui sunt reuelata hæc mysteria, proscripto scilicet & exuli. Hec verò inter se eximiè quadrant, videlicet quòd deus in mediis malis nota faciat suis arcana sua, eis adaperiēs quæ ab huius seculi sapiētibus abscondit. Matth. 11. & Lucæ 10. Sic habes sanctis in terra afflictis eo amplius cælestia esse aperta, quo hoc in mundo plus affliguntur. Quando (quæso) vidit Stephanus gloriam dei, & Iesum stantē à dextris dei? An non

Quas ob caussas patiendū sit.

Afflictis reuelat deus arcana sua.

eo tempore quo inter se lapidantium manus stabat? Adest itaq; illis in afflictionibus Christus. Ioãni igitur cui denegabatur terra, est apertum cęlum vt sequitur. *Fui in spiritu,* Id est, eleuatus & euectus fuit spiritus meus supra meipsum huiusmodi in visione: Itaq; hoc loco discimus Ioãnem corporeis sensibus minimè vsum fuisse, vt auditu & visu, & aliis: sicuti nec Paulus in eius raptu. Nec enim inferiorem hanc Ioannis visionem imaginariam, & in spiritu eleuationem existimo Pauli raptu: & esse in spiritu idem dico esse cum raptu Pauli ad tertium cælum. Concludẽdum igitur hanc visionem fuisse imaginariam, & intellectualem, nullóque modo corpoream, omnia etiã gesta fuisse in spiritu quo supra seipsum fuit euectus, vt quæ supra eum erant, eidem reuelarẽtur. De ratione autẽ visionum habes in præfatione. Quia verò solet ostẽdi rerum qualitas secundum temporum qualitatem, sicut Abraham in feruore suæ fidei vidit angelos in meridie, & Loth vesperi in Sodomorum exitio & per-

Non inferior eleuatio spiritus in Ioanne raptu Pauli.

ditione, ideo & dié & tempus in quibus hæc ſunt reuelata, declarat, dicẽs: *In die dominica.* Quia dei arcana detegebantur, conſentaneum & congruum erat ea reuelari eo die qui dies domini dicitur. Et quia dies dominicus deſcribitur, argumentum eſt hunc diem à diebus apoſtolorum ſic vocatum fuiſſe. Nulli enim ſit dubio apoſtolos dies conſtituiſſe in quibus fideles ad audiendum verbum dei, & ad cœnam dominicam conuenirent, hoc verò factũ conſtat ſola eorum authoritate ſine ſcripturæ teſtimonio, videlicet vt die dominica introducta ſecluderetur ſabbatum: ne quis putet ea ſolum tenenda quæ in ſcripturis expreſſe habentur, aut quæ ab eis deducuntur.

Statuti dies.

Non modo ea ſunt tenenda quæ ex ſcripturis deduci poſſunt.

PARS

PARS SECVNDA, QVAE EST PRIMA VISIO PRAECIPVA.

VT prædiximus, totũ hunc librum in septem visiones præcipuas sumus distincturi, etsi totus liber vnica sit visio, quia variæ imagines sunt, quæ & multiformes superostẽdũt visiones, quæ seiunctim meditatæ non parũ ad huius libri intelligentiam faciẽt. Accedamus igitur ad primæ visionis enucleationem deo opitulante, sine cuius beneficio & gratia hæc nullus valet scrutari mysteria, maximè cũ tot sint (teste Hieronymo) sacramenta, quot sunt verba. Vt autem (cãdide lector) hanc visionem facilius deprehendas, nota scopum & institutum suum esse, quòd adaperiat vniuersalis ecclesiæ statum præsentem, quid etiam sit ecclesia, & quomodo in ea se habeat Christus. In aliis autẽ visionibus declaratur maximè futurus ecclesiæ status. In hac autem præsens commonstratur, & qualis etiam erit vsque ad mundi finem, quia vnionem Christi & eius ecclesiæ indissolubilẽ significat.

Prima in visiõe status ecclesiæ præsens declaratur.

Sequitur prima visio de præsenti statu ecclesię Christi.

Et audiui post me vocem magnam tanquam tubæ. Id est, Ego Ioannes sic raptus, & spiritu meo supra me eleuato, vt quæ supra me erant, intelligerem, audiui non quidem corporeo sensu, sed ipso spiritu post me, id est, mihi videbatur illa vox à tergo esse, vt indicet deum semper fidelibus esse à tergo, suis eloquiis perpetuò clamans, eósque excitans vt suam audiant veritatem. *Vocem magnam.* Quia verbum magni dei, quod etiam de magnis & excellentibus est, *Tanquam tubæ.* quia in pugnam excitat contra impios, haud secus quàm tuba bellatores, vt ardentius prælietur. Sermo enim futurus est de præliis ac victoriis sanctorum. quare vox ea reuelans, quæ ad militiam ecclesiæ Christi pertinet, dicitur vox tubæ. Sed quid insonuit primùm hæc diuina tuba? *Ego sum α & ω, primus & nouissimus,* Christus est qui hic loquitur, non quidem vt homo, sed vt deus. Faciũt hic

Præsto est sẽper de' ad fideles exhortã-dos.

Vox dei vt tubæ.

locus

locus & consimiles ad comprobandā Christi diuinitatem, eúmque vnum cū patre esse deum, contra Arrianā perfidiā. Neq; vt enī homo potest dicere, Ego sum prim⁹ & nouissimus. Hic est repetitio præcedētium, quare in multis exemplaribus non ponitur, sed sequitur, *Quod vides, scribe in libro.* Licet audire & videre spiritu, quasi idem sonent, videlicet deum audire reuelantem, & ea quæ reuelat videre, ita vt videre pro audire nonnunquam ponatur, & econuerso, vt videbitur: tamen propheta cui fit reuelatio, maxime & potius dicitur audire, quando quippiam sibi reuelatur per modū disciplinæ & præcepti prout Paulus dicit se audiuisse arcana Dei, eò q̄ ei detegerentur per modum disciplinæ Quia autem hoc in loco diuo Ioanni fit præceptum scribendi quæ videt, ideo dicitur illū eam audisse vocē. Quādo verò aliquid sub typis, figuris & schematibus reuelatur, tunc potius dicitur propheta videre quàm audire, cum eius intellectus ad aliqua extrinseca obiecta terminetur. Aliud igitur

Videre p̄ audire plerunque ponitur.

Aliud Io

Ioannes audiuit & aliud vidit.


Ioannes audiuit, videlicet dei præceptum ac disciplinam: aliud autem vidit, typos scilicet figuras & simulachra quæ alia extrinseca significant. Et præcipitur ei hæc scribere in libro, vt tandem ecclesiis emittat, vt sequitur. *Et mitte septem ecclesiis quæ sunt in Asia.* Vt iam prædictum est, quia illis præerat, ideo prius præcipitur eis describere & delegare, sed consecutiue vniuersis congregationibus & toti ecclesiæ Christi. Nam quæ hic scribũtur, ad omnes fidelium ecclesias spectant. *Epheso, Smyrnæ, & pgamo. Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, ac Lodiciæ.* De vnaquaque harum ciuitatum dicetur suo in loco cum de epistolis ad eas seiunctim missis discutiendum fuerit.

Et conuersus sum vt viderem vocem quæ loquebatur mecum. Ioanni in spiritu posito videbatur ꝙ se verteret vt videret vocẽ.i.audiret. Nã pro audire sumitur videre, vt dictum est. Quia enim sensus visus omnium nobilissimus est, plerunque aliorum loco vsurpatur, maxime tamen pro auditu. vnde Exod. 19. Cunctus autem populus videbat vocem

Sensus visus omniũ nobilissimus.

cem audiebat. Aut ſic dicatur. Conuerſus fuit ſpiritu, vt videret vocem, id eſt, eum cuius vox erat, quem iãdudum audierat. *Et cõuerſus vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis.* Conuerſus Ioãnes dicitur quia attẽtus ad ea quæ ei reuelabãtur, eò ꝙ ſupra ſeipſum eſſet. ſpiritu itaque hunc in modum eo elato, duo in ſumma vidiſſe dicitur. Primùm ſeptem candelabra aurea. Secundò in medio ſimilẽ filio hominis. de quibus per ſingula di cẽdũ, ſi prius regulã præmiſerimus ge neralẽ ꝓ hui⁹ loci & ſimiliũ ĩtelligẽtia quoad ſeptenariũ numerũ. Notãdũ igi tur ſeptenariũ nũerũ in ſcriptura pro vniuerſitate vſurpari, ſicut omne tempus ſeptẽ diebus cõprehenditur. Sic intelligendi veniũt hi ſacræ ſcripturæ paſſus, Septies in die cadit iuſtus. Septies in die laudem dixi tibi. Quibus in locis numerus ſeptenarius ꝓ omni numero ponitur, tum caſus & lapſus, etiam & laudis. Sic in inſtituto per ſeptem cãdelabra, quæ ſeptem eccleſias exprimunt, (vt in fine capitis dicitur)

Septenarius numerus in ſcriptura quid ſignificet.



vniuersitas ecclesiarum Christi adumbratur, siue vniuersalis ecclesia Christi, quæ omnes particulares congregationis & cõmunitates complectitur. Itaque videndum quam ob caussam ecclesiæ candelabra sint dicendæ. Id vnicũ asseuerat Ioannes, septẽ cãdelabra scilicet septem fore ecclesias, ratiõnẽ aũt omnino reticẽs, quî fiat vt sic dicãtur. Rationem sanè in conspectum & lucem afferunt perpauci. Vnica tamen assignari potest: quia sicut candelabrũ est lucernæ vehiculum, à se quidem lucem non habens, sed à lucerna, siue à lumine in lucerna existente, hunc & in modum aliqua cõmunitas ecclesiæ Christi candelabrum dici potest, quia vehiculũ prælati, qui est lucerna eius. Prælatis quidem dixit Christus: Vos estis lux mundi. Et nemo accendit lucernam, nec in abscõdito ponit, neque sub modio, sed supra cãdelabrum, &c. Quia vero communitas prælato quæ æqua & iuris sunt (vt victus & vestitus) suppeditare ac subministrare tenetur, ideo vehiculum eius dicitur: tum etiam ꝙ subiecta prælato, lumen fidei

Quare ecclesiæ candelabra dicantur.

Prælati, lux mundi.

excipiat

excipiat, vt candelabrũ lucernæ. Porro candela accensa lumine in lucerna, est intellectus à Deo illuminatus lumine fidei, donis spiritussancti, nõ equidem à se, sed nec vt à se candela lumẽ habeat. Est igitur, (vt in pauca cõferamus) candelabrum ipsa fidelium congregatio, siue particularis, siue vniuersalis existat: lucerna vero, ipsius cõgregationis prælatus: lumen autẽ ipsa fides infusa, quæ est donũ dei. Eph. 10. Horũ enim omnium loco hic vsurpatur candelabrum, pro ipsa in primis cõgregatione, ꝓlato demũ, & pro cõiũctis in fide, sicut in sequẽtibꝰ episcopis prælatis simul & populo scribens declarat. Cãdelabrũ igitur ꝑ mẽbris congregationis & capite adscitũ est. Efflagitabis aũt, quare aurea dicuntur? Duplici via huic fieri satis quæstioni potest. Priore quidem, quia fide congregati deaurati dicuntur. Est enĩ fides instar auri, vt dicitur. 1. Pet. 1. Vt probatio fidei vestræ sit preciosior auro, quod per ignem probatur. Fideles enim velut aurum probati sunt. Secũda autem, aurea vocitantur ob insignẽ

Candelabra quare aurea dicantur.

Prælati ecclesiæ dicuntur aurei.

eorum dignitaté qui ecclesiastico fun guntur munere, auro non iniuria æquiparandam. *Et in medio similem filio hominis*, Id est Christũ, qui potius Ioanni apparuisse, quàm in eius specie angelus est dicẽdus, maxime propter id quod sequitur, Ego sum primus & nouissimus, viuus, & fui mortuus. Et si dicatur similis filio hominis, non propterea eum negat hominem, sicut nec Paulus cum de eo dicit ad Philip. 1. In similitudinem hominũ factus. huiusmodi est autem intelligentia. Vidi similem filio hominis, id est tanquã filiũ hominis, siue hominẽ. Hac enĩ locutione id significant hebræi, sicut de rege ambulante regio more, dicitur: Iste ambulat tanquam rex, non tamen negatur eum fore regem, sed potius asseritur. Quid verò est Christum in medio candelabrorum, id est totius ecclesię vniuersalis, situm esse? nisi id qđ prædixerat, Vbi sunt duo vel tres con gregati in nomine meo, in medio eorum sum. Quid verò obambulare in eorũ medio, nisi eis adesse, opitulari, erudire, & demum omnimodæ eorum saluti

Christus verus homo.

Ambulare Christũ in medio ecclesiæ quid sit.

ſaluti inuigilare?hinc Matth.vlt.dixit: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad ſeculi conſummationem. Perpulchre ſane in medio eccleſiarum viſus eſt, qui pro eis eſt apud patrem aduocatus & mediator,illarumque ſedulus eſt paſtor,auxiliator, protector, illuſtrator & ſtrenuus rector. Figura Chriſti. Inter candelabra exiſtētis. Huius rei typum omnino accōmodum in lege habes,vbi quæ ſummi ſacerdotis erāt officij declarantur,Inter potiores verò ſui officij partes, lucernarum ſeptem & olei cura erat ei demandata. Eiúſque erat eas repurgare,abſtergere & nitidare, ſimul & emugere, oleum præterea, cum non ſupereſſet,illis infundere.Sic Chriſtus ſummus veruſque pontifex lucernarum.7.curam gerit,id eſt eccleſiarum omnium quotidianam curam habet ne præcipuè illud deſit illis oleum, de quo Pſal. 44. dicitur.Vnxit te deus, deus tuus oleo lætitiæ.de cuius plenitudine nos omnes accepimus, & vncti ſumus,quia dicitur Chriſtus,id eſt,vnctus,quaſi huius olei fons & ſcaturigo,& nos huius

Pontifex lucernarū & olei curā habuit.

Inuigilat Christus ecclesiæ. ſumus effecti participes. Curam præterea impendit, ne eccleſiis veritatis ignis & lux deficiat. Denique mungit & permũdat, fide operãte, quicquid in eis emaculatione indiget. Maximam igitur prorumpat in exultationẽ vniuerſalis eccleſia, cũ Chriſtum in medio noſtri habeamus, prout nos exhortatur inquiẽs Eſa. 12. cap. Exulta filia Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael. *Veſtitum podere.* Hæc omnia quæ ad Chriſti ornatum in medio eccleſiæ exiſtentis proponuntur, magnalia & de Chriſto ſublimia prędicant. Nam primo dicit eum veſtitũ podere, id eſt veſte talari linea, quæ vulgo alba dicitur, qua induitur ſacerdos. Hac itaque ſignificatur Chriſtum in medio eccleſiæ chriſtianæ eſſe perinde ac ſummum ſacerdotẽ noſtrum, idque ſecundum ordinem Melchiſedech, qui ſe ipſum obtulit & in dies offert pro nobis, de quo Paulus. Habetis pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Ieſum filium dei. *Et præcinctum ad mamillas zona aurea.* Duæ mamillę & vbera Chriſti, ſunt duo teſtamenta

Chriſt' in medio noſtri.

Chriſtus ſummus ſacerdos noſter.

Duo teſtamenta.

ſtamenta

ſtamēta quibus paruuli & in fide neophyti nutriuntur, quibus lacte non ſolido cibo eſt opus. Et ea præcinguntur in Chriſto, quia vtriúſque teſtamenti ſcopus eſt Chriſtus, qui finis legis etiā dicitur. Et in eo vno conſummata videntur quæque promiſſa. Rectè quidem zona aurea præcingi dicitur, id eſt charitatis vinculo: quia ſola charitate motus omnia adimpleuit in nouo & veteri teſtamento contenta. Vbera autem in ordine dicuntur ad ipſam omnem eccleſiam, quæ ea ſummopere concupiſcit, Canticorum. 1. dicēs Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis, id eſt multis ſenſibus & intelligentiis ſpiritalibus. Hinc emanat haud parua toti eccleſiæ conſolatio, in eius medio Chriſtum habenti, qui hæc vbera omnibus habet parata, vt dicitur Eſa. 6. Lætamini cū Hieruſalem & exultate in ea, vt ſugatis, & repleamini ab vbere conſolationis eius. Ad vbera portabimini, & ſuper genua blandietur vobis. quomodo ſi cui mater blandiatur, ita & ego conſolabor vos. Hinc palam anim*

Scop⁹ vtriuſque teſtamēti Chriſtus.

concipis ingentem ecclesiæ consolationem. *Caput autem & capilli eius erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* Caput Christi deus est, 1.Cor.11. Cuius & antiquitas & æternitas iuxta humanæ consuetudinis locutionem in capitis candore ostenditur. Hūc verò in modum per prophetarum ora loqui voluit spiritussanctus, nostræ consulens imbecillitati & inscitiæ: tum etiam quia nostræ capacitatis vires admodū tenues multo exuperat, prout Danie.7. dicitur, Aspiciebā, & ecce antiquus dierum sedit. Per capillos candidos, & caput vt nix aut lana nitidū, filij & spiritussancti æternitatem designat, qui à patre procedunt, alter quidem per æternam generationem à patre, alius autem à patre & filio per æternam spirationem, sicut capilli à capite nascuntur. Per cādorem igitur tum capitis tum capillorum, significatur Dei patris & filij ac spiritussancti æternitas. q.d. Quanquam secundum humanitatem sit filius hominis & ex tempore, tamen secundum deitatem æternus est, quia candidum

Christi æternitas.

Nostræ cōsulit imbecillitati spiritus sanctus.

candidū caput, & nitidi capilli, id est æterni sunt Pater & filius & spiritus sanctus. *Et oculi eius velut flamma ignis.* Quid oculus nisi sensus, cogitatio, & iudicium? Sic enim Matt. 20. sumitur, An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Oculus nimirum malus & nequam, peruersus sensus, reprobumq; est iudicium. Bonus verò, sanus, verus & spiritualis sensus. Oculi igitur Christi sunt cognitiones, & eius iudicia, quę ob eā rationē dicūtur tanquā flamma ignis, quia prout flāma ignis est viuacissima, ac efficacissima: ita Christi iudiciū. Id vero non intelliges de cōdēnationis iudicio, sed de eo qđ est discernendi ac definiendi peritia. Quis porrò his occlamabit & contradicet oculis? quandoquidem omnia sunt illis nuda & aperta, ad Heb. 4. Et sic viuacissimi, purissimi & penetrātissimi, quibus nil prorsus inuisum potest effici. Hi nāque ardentissimi oculi, Cantic. 5. assimilantur oculis columbæ super aquarum riuulos, quæ lacte est lota, residetque ad fluentorum plenitudinem. Ex supradictis igitur perfectio & absolu-

Oculus nequam, oculus bonus.

Quale Christi iudiciū, & omnium cognitio.

ta Christi sciẽtia exprimitur: quomodo etiã non solum creatã & tẽporalẽ habet scientiã, sed æternam, & increatam. Quare pertimescẽdus, cũ in medio ecclesiæ stet & obambulet, omnia agnoscens, ea tandẽ super tecta reuelaturus. *Pedes autem eius similes aurichalco, vt chalcolibano, velut in camino ardentes.* Per pedes in sacra scriptura affectus intelligimus, vt illo in loco: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet. Igitur pedes Christi dicuntur similes chalcolibano, metallo sanè pulcherrimo & preciosissimo, quãdoquidem preciosissimi mundissimi & speciosissimi sunt. Chalcolibanus, enim (Suida teste) metallũ preciosissimum est, & illud aurichalcũ esse dicunt. Hæc Plinius cõmemorat lib. 34. Historiæ mũdi cap. 2. Et est χαλκολίβανος compositum a χάλκος quod est æs, & λίβανος thus. Quapropter quidã asserunt thus masculum & fortius esse, & ideo dictum æream, quemadmodũ & fortia ærea dicuntur. Secundum verò hanc acceptionem & Christi Iesu pedes, id est affectus & desideria sunt fragran-

Pertimescẽd⁹ christus.

Pedes Christi p̃ ciosissimi.

Pedes quid in

fragrantiſsima & odorantia. horum porro odor fide præſentitur. Cum autem quis ſenſerit, confeſtim ea inſequitur, illud dicens Cant.2. ipſi Chriſto: Curremus in odorē vnguentorū tuorū. Quid verò dicit, ī camino ignis ardentis: quid rogo ardentius ſanctiſſimis affectibus Christi? Qui vſque adeo noſtram ſalutem ſitiuit, vt quò eā perficeret, ꝑ nobis mori ſit dignatus. Et ſic fuerūt ī camino qui eſt tribulationū typ⁹: quia ſemper eius omnis affectus in hoc vergebat. *Et vox illius tanquam aquarū multarū.* Id eſt vox Chriſti ſonora eſt vt vox aquarū multarū. Sicuti enī aquæ copioſæ & multæ multóq; impetu fluentes vocem & ſonū edunt admirandū: ſic vox Chriſti & ſonus verbi Dei vſque adeo ingens extitit, vt in omnem terram exierit, ita vt nullus ſit qui non audiat vocem illam interius aut exterius, niſi is qui aures obturat, hoc eſt qui obicem ponit. Non indigetis (inquit Ioannes. vt quis doceat vos, voce exteriori, vnctio enim ſancta; quæ eſt interior inſpiratio, docebit

ſcriptura ſignificāt.

Qualis Chriſti affectus erga ſuos electos et eccleſiam.

Caminus typus tribulationum.

Vox chriſti magna

vos. Quasi igitur dicat, vox Christi inambulantis in ecclesię medio est ingēs & sonora vt vox aquarum multarum, ita vt excusationem nullam sibi prætexere queat qui verbi dei nō se præstitit accuratum auditorem. *Et habebat in dextera sua stellas septem.* Stellæ septem, vt postea declarat, sunt septem angeli siue prælati ecclesiarum septem. Et sic vt prædictum est, illo septenario numero stellarum vniuersus prælatorū numerus adumbratur, qui Christi præficiuntur ecclesiæ, à Christo vocati. Et hos omnes habere dicitur Christus in sua dextera, id est, in eius ditione & potentia, vt illos illuminet, purget & exhortetur. Hunc in modum in manu eius dextera erat beatus Stephanus, cui⁹ spiritui haud resistere poterat vniuersa synagoga. huic pollicit⁹ est Christus portas inferi minime pręualituras aduersum eius ecclesiam, aut eius prælatos. Et hoc quidē quādo sunt in dextera Christi, id est, à Christo vocati, & eius donis fulti. Per dexterā enim dei & Christi prosperitas & donorum abundantia exprimit. r. Per sinistram vero,

Esse in dextera dei.

Qui sunt in dextera dei.

vero,oppositum.Quamobrem non vocati à Christo, qui tamẽ ecclesiis præsunt, non sunt bonorum asscripti albo, sed neque à Christo illuminantur aut regũtur, & sic nec in eius sunt dextera, sed verius sinistra. Vocatis autẽ à se dixit: Dabo vobis os & sapientiã quibus resistere non poterunt aduersarij vestri. Cum fueritis ante reges & præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis &c. En quomodo veri prælati stellarum more ecclesiam Christi illuminantes sunt in eius dextera. *Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Gladius sermo dei est, ad Ephe.6. Assumite gladium spiritus, quod est verbum dei. Viuus enim est, & penetrabilior omni gladio ancipiti. ad Hebr.4. Dicitur autem sermo dei, quia egreditur de ore dei, eo loquente, aut per se, aut per alium, sicut dicit: Ego principium, qui & loquor vobis. Aut per aliũ, vt testatur Paulus: Experimentũ quæritis eius qui in me loquitur Christus? Corint.13. Dicitur idcirco sermo dei, quia à deo est mediate vel immedia-

Qui sint in sinistra

Verbum dei viuũ.

te. Vtraque verò parte acutus dicitur, quia ſcindens ac penetrans, ita vt nil ei obſiſtere queat. qui verò reſiſtere conatur, ab eo tandem vincitur, transfoditur, ac conteritur. Potentiſſimus ſiquidem eſt, omnia vincit, & ſemper Dei ſermo inuictus manet. Pari argumento quandoque in ſcriptura iudicium Dei hoc gladio vtraque parte ꝑſcindēte figuratur. *Et facies eius ſicut ſol lucet in virtute ſua.* Licet Christus obambulet in medio ecclesiæ militantis, & ei adſit, non minus tamē adeſt eccleſiæ triūphāti, ſed in ea eſt ſicut ſol cū lucet & effulget ſua in virtute. Sic & Chriſtus in gloria ſua aliis præcellit & reſplendet. Si enī de aliis ſanctis dicitur illos effulgere ſicut ſol ī regno Chriſti. Matthæi. 12. quanto magis dicendum de ſole iuſtitiæ erit eum multo amplius ſplendere? Non enim ſimpliciter dicit eum lucere, ſed ſicut ſol cum eſt in in virtute ſua. Chriſtum igitur ſummariè oſtendit in vtriúſque eccleſiæ medio exiſtere. *Et cum vidiſſem eum, cecidi ad pedes eius tāquā mortuus.* Id eſt

Inuictus dei ſermo.

Chriſtus vt ſol refulget.

el persimile videbatur, hunc in modū incidisse. Is aūt Ioānis casus & pertimescētia declarat mysteria Christi Iesu cunctis metū adferre, donec ab eis plene & rectè capiātur. Ioannes. n. hos Christi typos intuitus, cumprimum perterritus est, donec quid sibi vellent intellexit. Ita in Christi transfiguratione ipse & alij duo apostoli ad Christi conspectum metu detenti, ac veluti mortui suas in facies collapsi sunt. Sed vbique insequitur cōsolatio. *Et posuit dextrā suā super me.* Dextera hoc loco pro diuino auxilio accipitur, sicut Iob 14. Operi manuū tuarū porriges dexteram. Et Psalm. 137. Saluum me fecit dextera tua, quia non dat in æternum fluctuationem iusto. Tandē eius beneficio & opitulamine ad Christi conspectum verè humiliatis & ad eius mysteriorum magnitudinē exterritis mittitur cōsolatio. Et hoc modo dicitur misisse dexterā suā super Ioannem, id est eum consolatus fuisse, eidem ferēdo suppetias. Vnde id dicere poterat diuus Ioannes, Tenebit me dextera tua. Porro verbo suo eum solatur dicens:

Cunctis metū adferūt christi mysteria.

Dextera pro auxilio ponitur.

Noli timere, id est, diffidere, & plus ęquo deterreri caussam subnectit dicens: *Quia ego sum primus & nouissimus.* Hæc prius exposita sunt. *Viuus & fui mortuus.* id est, qui aliquãdo fui mortuus, sum nunc viuẽs, sed non pro tempore, quia *Ecce sum viuens in secula seculorum.* id est, mors mihi vltra non dominabitur: quia ad immortalitatem primus resurrexit Christus, & sic in secula seculorum est viuens. Quòd autẽ efficere possit Christus vt ipse viuat in æternũ, cum dominus sit vitæ & mortis, ideo subdit: *Et habeo claues mortis & inferni.* id est, potestatẽ deducendi animam ad infernũ, & hinc educendi, sicuti dicat: Libera est mihi potentia animã ponendi, & iterum eã sumendi. Qua de re habet clauem mortis, quia tantę est potentiæ, vt mortem corpori immittere queat, & animã á corpore separare. Et iterum habet clauem inferni, id est, animam ad corpus reducẽdi quæ est in inferno, id est, loco inferiori, ita vt vitæ & mortis sit dominus. Nulli ergo mirum videri debet si est viuens in secula seculorum.

Christus viuens.

Quid signẽt mortis & inferni claues.

Scribe

Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. Hoc ex loco manifestũ fit prophetiã non modò esse futurorũ, sed etiam præteritorum & presentium: quia de his omnibus est quæ à Deo reuelãtur, & in diuina essentia videntur. Sic statum ecclesiæ tum præsentẽ, tum futurũ conformiter ad typos quos vidit, scribere præcipitur. *Sacramentum septem stellarum quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea. 7. stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum, & .7. candelabra quæ vidisti. 7. ecclesiæ sunt.* Duo hic tantum, nẽpe candelabrorũ & stellarũ mysteria interpretatur. Qua autem ratione hæc sola omissis cæteris interpretatus sit, non satis est conspicuum: nisi dicatur hic maxime de iis quæ per ista figurantur, de ecclesiis scilicet, & ministris verbi, tractari, de cęteris verò nulla incidit mentio, tum quoque vt horum interpretatio ad alias capessandas significationes præuia sit. Demũ vt ex his paucis reliqua mysterio vacare minime arbitremur. Si enim à Ioanne alius hunc in modum inter-

Præteritorũ et præsentium est prophetia.

Quare solũmodo cãdelabrorum & stellarum mysteria aperuerit Christus.

pretatus fuisset, perplures non reciperent: sicut cum Christus spinas interpretatur diuitias adumbrare. Quãobrem verò ecclesię candelabra dicãtur, aut pręlati siue ministri verbi Dei stelle vocitentur, qui sint angeli, id est nũcij verbi Dei, ex suprà dictis colligere facillimum est.

CAPVT SECVNDVM.

Summa.

Ioanni præcipitur vt quatuor describat epistolas, priorem quidẽ Ephesino episcopo, secundam Smyrnæorum, tertiam Pergamensium, quartam Thyatirensium Antistitibus.

Summariè obseruanda.

Primum omnium habes cui conscribatur, Secundò, quomodo ob probata opera, & Nicolaitarũ odio, ecclesiæ Ephesinæ angelum & episcopum commendat.

Tertiò de remiſſa charitate eum arguit. Demum exhortatur, & niſi reſipiſcat, denunciat periculum.

Quadrat autē hæc epiſtola omnibus eccleſiis in quibus prius exiſtens deferbuit charitas.



T *angelo Epheſi eccleſiæ ſcsibe.* Ad huius & ſequentiũ epiſtolarũ per facilē intelligentiam quędam generatim notanda ſunt, ac præmittēda. Hac in re primò notandum, per angelum prælatum intelligi, qui ex officio miniſter eſt verbi dei. Hinc dicitur angelus, id eſt nũcius aut legat⁹. Secundò, quanquã ei præcipiatur ſcribere prælato & epiſcopo, annotandũ interea non ſolũ epiſcopũ aut cōmēdari aut carpi, ſed totam cōmunitatē & eccleſiã cui præficitur. Et alloquēs epiſcopũ, vniuerſam alloquitur cōmunitatem, vt è calce epiſtolarum deducitur, cum dicitur, Qui habet aurē, *Annotanda.*

audiat quid ſpiritus dicat eccleſiis. Et epiſtola. 4. Vobis auté dico qui Thyatiræ eſtis, &c. Tertio loco notandum, angelo pro angelis poni, ſingulari pluralis loco vſus. Non enim vni ſoli, ſed pluribus, ſingulis in epiſtolis ſcribit. Veriſimile enim eſt. Epheſi quãplurimos fuiſſe epiſcopos, quos è Mileto ad ſe Paulus conuocauit. Acto. 20. Demũ epiſtolarum concluſione vbi dicitur, Qui habet aures; &c. deducitur has epiſtolas omnibus eccleſiis delegãdas, & ab omnibus fidelibus eſſe recipiendas, & etiam atque etiam cogitandas. Illo etenim ſeptenario numero eccleſiarum, vniuerſalis Chriſti eccleſia adũbratur. hinc quicquid ad particularem iubetur perſcribere eccleſiã, pari gratia & ad vniuerſalem. His itaque præmiſſis ſequitur textus explanatio Ioannes Epheſinæ eccleſiæ angelo ſcribere iubetur, id eſt omnibus prælatis & epiſcopis qui Epheſi præerant, idq; immediate: mediatè verò & conſecutiuè omnibus eccleſiis, & earum euangeliſtis. Talis nanque eſt coincidentia nominis, vt toti eccleſiæ vniuerſali

Ab omnibus ſuſcipiendæ ſunt hæ ſequentes epiſtolæ.

quadret

quadret Ephesinũ nomen. Nã, ἔφεσις græce, latinè desiderium sonat. Filij verò ecclesiæ, filij sunt desideriorum, sicut de Daniele dicitur Dan. 9. quia vnusquisque desiderat dissolui, & esse cum Christo, cum Paulo, ex perfecta ad Christum charitate. & liberari à corpore mortis huius. Romano. 7. Ingemiscimus in hoc tabernaculo superindui cupientes. 2. Corin. 4. Recte igitur toti ecclesiæ par est Ephesinũ nomen, quo & vtitur Psal. inquiens: Sicut ceruus desiderat ad fõtes aquarum, ita &c. Annotandum insuper, hanc Ephesum, in Asia minore (celeberrimæ Dianæ templo illustri) sitam esse. hæc verò Asia limosa vel cœnosa interpretatur ἄσις. n. latine cœnum vel limus est. Quàm verò probè coincidant hæc animaduertas ecclesia Dei Ephesus est, id est desiderium, siue desideriis referta, in Asia, id est in cœnosa terra, in qua veluti carcere occlusa, ad plenam aspirat libertatem, sponsi amplexus desiderans, quam ob rem Cant. 5. inquit, Amore langueo, Scribens igitur Ephesinæ ecclesiæ, to-

Ecclesiæ filij dicuntur filij desideriorũ.

Ecclesia in cœnosita.

ti vniuersali ecclesiæ conscribit, *Hæc dicit qui habet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.* Id primitus vult nobis innotescere deus, maximè suæ ecclesiæ prælatis, ꝙ ipse deus opt. max. omnes habet in manu sua & voluntate episcopos ac ecclesias, & potest quod libuerit efficere. Ipsius nimirum est auxiliari, seruare, spiritum erroris immittere, & tribuere spiritum veritatis, indurare, conterere non sibi acquiescẽtes, &c. Id verò primò proponit, vt auditores admonitiones & correptiones complectantur, minas & iudicia expauescãt. Et secũdò dicit se in medio esse omnium, ne arbitremur eum procul abesse, sed præsentẽ omniaque scrutantem, & ad misericordiam & iustitiam paratissimum, quasi dicat. Inspicite accuratè quã bonũ ęquũ sit ipsius acquiescere & parere iussis ac voluntati, & quàm perniciosum & asperum in eam recalcitrare. *Scio opera tua.* Id est agnosco simplici cognitione, qua omnia bona & mala nouit deus, vel ob sequentia

Dei est spiritum erroris, et veritatis immittere.

quentia commodius, ſcire pro approbare ſumi poteſt, vt cum dicitur Ioan. 10. Ego agnoſco oues meas, id eſt approbo: ex oppoſito neſcire, vt neſcio vos, id eſt minimè approbo, maximè quidem cum quæ ei pergrata & accepta ſint, poſtmodũ declaret. *Et laborem & patientiam tuam.* Primũ laudibus offert Epheſinũ epiſcopũ ob ei' laborẽ .i. curam & ſolicitudinem, quæ prælatis præcipitur. Ro. 12. Qui præeſt in ſolicitudine. Quia verò huiuſmodi ſolicitudo ſine anguſtia & afflictione eſſe non poteſt, & labor patientis carere nequit, ideo ſubdit. Et patientiã. Eſt autẽ patiẽtia maximũ diuini ſpũs adiumẽtũ quo fidelis anim' robuſtior efficitur aduerſ' quæq; mala, ne ab eis deuict' à veritate ſeſe abducat, ſed firmus & ĩuict' ſtet etiã in medio vmbrę mortis. In quib' verò aut de reb' tãtus fuerit labor, tantaq; ſolicitudo, ſequẽtibus exprimitur verbis. *Et non potes ſuſtinere malos.* Prorſus vna eſt prælatorum ſolicitudo & cura, ne ſcilicet in eorum ouili ſuffulciant aut ſuſtineant malos,

Scire & neſcire dei quid ſignent.

Quid patientia.

Prælatus malos odio habere malos tenetur.

malos, sed odio habeant & dicant cum Psalmista. Nónne qui oderunt te domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Et si mala ad tempus sufferenda sint, non tamen mali, siue eorum malitia, sed corripiẽdi sunt si caussa & tẽpus id expostulet. Nec eis assentatione conniuendum est.

Impiis minimè assentiẽdũ.

Sibi ipsis idcirco videant prælati, siue cæteri Christiani, qui fideles & dici & haberi volunt, interim cum impiis consuetudinem ducunt, ac conuersantur, eorum corroborantes manus, contra illud Pauli 1. ad Corinthios quinto, prohibentis cum his cibum sumere. proculdubio huiusmodi Dei iudicio subiacebunt. Est igitur maximum diuine electionis in prelato iudicium: malos haudquaquam tolerare.

Comedi zelo dei.

Talisque domus Dei zelo comeditur, qui omnia peruersa perniciosa, ac deperdita videns, si non queat emendare aut corrigere, saltem flens abscedit, vt dicit Augustinus super id, Zelus domus tuæ comedit me. Est & alius effectus

zeli

zeli domus Dei, vt obseruet scilicet calliditates malignorum, quibus piis imponere nitũtur. Hac quidẽ ratione Ephesinus episcopus eiúsq; oẽs imitatores multis cumulantur laudibus sequẽti textu, qui Dei accensi zelo, probant eos qui se dicunt apostolos, id est legatos dei esse, an id sint qđ se esse iactitãt, vt sequitur, *Et tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces.* Pari siquidem sententia hic commendantur omnes Christiani, qui probant an qui Dei verbum administrant, ipsius pastoris veri vocem habeant. Verũtamen primò hoc ex officio episcopis incũbit, ex charitate verò vniuersis fidelibus. Quia verò parum admodum est & probare & mendaces inuenire eos qui sese apostolos iactitant, nisi è medio tollantur: ideo secundum quædam græca exemplaria sequitur, *Et tulisti,* scilicet de medio. Alloquitur episcopum cuius est ꝓ officio lupos à grege arcere postquam tales probarit & inuenerit. Nõ sunt igitur audiendi qui doctrinas seminant impostrices, vt dicit Ioannes

Probandi verbi Dei administratores.

Impostores minimè audiendi.

in.2.canonica: Si quis venit ad vos & non adfert doctrinam hanc, ne receperitis illum in domum, nec aue ei dixeritis. Qua de re omnes eis fauentes aut excipientes, iure canonico excõmunicantur, etiam eos subticentes: quia eorum sermo vt cancer serpit. 2. Timo. 2. Quia verò expulsi pseudoapostoli in sanctos magis solent malignari & sæuire, postquam episcopum de eorum propulsatione commendauit, nunc eum de ampliori collaudat patientia: quia amplior inimicorum malignitas, vt sequitur. *Et patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.* Id est, inter tot aduersa à veritate non recessisti, sed eam semper inuicte sustinẽs, firmo & stabili proposito perstitisti. *Sed habeo aduersum te pauca quod charitatem tuam primam reliquisti.* Totam ephesinam carpit deus communitatem, quia remissam & laxam charitatem haberet eo præcipuè in tempore, quo hanc descripsit epistolam Ioannes, quæ prius ardentior in veræ fidei fructibus extite-

rat

rat. Ideo autē coarguit, quia in via Dei non progredi retrogredi est. Sic coram æterno iudice arguuntur nedum qui à fide & charitate deficiunt, sed qui hæc in seipsis imminui sinunt. Quanquam enim charitas quo ad essentiam minuit nequeat, bene tamen quo ad feruorem potest. Quamobrem non videtur hęc charitatis imminutio mortalis noxa (aliàs non minueretur charitas, sed omnimode & penitus euelleretur) sed quædam venialis negligentia censenda est. Hinc dicit se habere contra eam communitatem pauca dicēda, videlicet quòd insignem erga proximos charitatem reliquerit, quam in ecclesiæ statim exordio habebat. Vel per charitatem, opera charitatis intelligas, quæ diminuuntur. *Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* quasi dicat. Ea fide, eo insigni ac feruenti charitatis affectu, erga proximos incēdite, quo prius ambulastis, pietatis & misericordiæ operib⁹ copiosius & abūdāti⁹ insudātes.

Charitas minui nō pōt sed feruor & opera eius.

Sin autem, veniam tibi cito, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Nunc his comminatur, quos prius ad resipiscentiam exhortatus fuerat, nisi resipuerint, se ablaturũ eorum candelabrum de loco suo. Sed quid candelabrum? Ecclesia nimirum est & communitas illa Ephesina. Locus vero candelabri est, vbicunq; dei verbũ syncere docetur, amatur ac seruatur, & si etiam multi aduersentur. Mouetur verò candelabrum a loco suo & transfertur, quando dei verbum syncere minime prædicatur, sed male audit, & est exosum, doctrinæ autem spirituum impostorum recipiuntur admittuntur & diliguntur. Est igitur comminatio, Nisi resipueritis, à vobis auferam verbum dei, & veritatis agnitionem, sicut Iudæis dicebat Christus Auferetur a vobis regnum dei &c. Hec est mouere candelabrum de loco suo, quæ sæuissima plaga est. Quæres forsan, An repente fiet hæc candelabri semotio? Absit. Neque enim mox, sed sensim fieri potest. Nam si aliqua in ecclesia aliquot sunt electi, quantũuis

Quid de loco suo moueri cã delabrũ.

Iudicium grauißimum candelabri motio.

Sẽsim mouetur candelabrũ.

quantumuis alij insaniant, in istis sermo Dei perdurabit, quia electi Dei sunt eius candelabrum. Porrò si isti migrarint, & semen in aliis & verbi Dei non superfuerit. tum à suo loco est ablatum candelabrũ. Igitur ecclesiæ rector dominus Iesus eos admonet, qui remissius & tepidius agunt, ad priora reuerti, ne sensim labantur in profundum. Ita etiam lentè mouetur, vt si qua in communitate decem iusti inuenti fuerint (prout pollicitum est Abrahæ super Sodomæ euersione) aliis sceleratis existentibus ac impiis, propter decem iustos pœnas nõ sumat dominus. Postquam verò laudibus tepiditatem & ingratitudinis notam immiscuit, nunc ad prius redit institutũ ad laudes, scilicet tum episcopi, tum ciuitatis Ephesinæ, vt ad meliora amplexanda charismata procliuiores reddantur, inquiens, *Sed hoc habes, quòd odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Nicolaitę sunt hęretici, à Nicolao Hierosolymitanæ ecclesiæ diacono sic appellati, qui cum Stephano ordinat⁹ est diaconus. Is enĩ de nimia accusat⁹ ze-

Act. 7. *Vide historia & ecclesiasticam lib. 3. cap. 2.*

lotypia, propriam prostituit vxorem, ne plus æquo libidini vacare videretur. Huius autem exemplo quidã coniugij sanctitatem polluentes & fœdãtes, & suas prostituebant. Illisque (Nicolai illius exemplo) sibi licere asseuerabant vxores communes habere. Et huiusmodi erat illorũ error: qui tamẽ aduersus tria matrimonij bona ex diametro pugnat. Primo enim contra sacramenti dignitatem, quia hoc sacramentũ magnum est in Christo & ecclesia. Eph. 5. Secũdo cõtra fidẽ matrimonij, qua nõ debent se fraudare mutuo. 1. Corinth. 7. Et tandem contra bonum prolis, vt notum est. Quare collaudat eos qui Nicolaitarum facta exosa habebant. *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.* Auris hoc in loco pro sensu & spiritus iudicio sumitur, quasi dicat: Qui habet aurem id est, sensum iudicium, & spiritus prudentiam: audiat quid spiritus ipse Christi ecclesiis dicat. Quibus verbis dilucide colligitur hæc nedum Ephesinæ ecclesiæ aut ei⁹ episcopo dixisse,

Auris audiendi, capacitas itelligẽdi.

sed

ſed generatim omnibus, iis præſertim qui quanuis à veritate non apoſtatarint, à priori tamen deciderunt charitate, ſiue Epheſij; ſiue alij Chriſtiani fuerint. His præmiſſis nouiſſimè vincenti præmium ſpondet. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod eſt in paradiſo dei mei.* Paradiſus vniuerſalis eſt ecclesia, quæ horti inſtar eſt, diuerſarum religionum hominibus tanquam variis conſita arboribus, & multarum virtutum floribus ac pomis exornata. Chriſtus autem eſt ipſum lignum vitæ, quia ſapientia dei, de qua dicitur Prouerb. 3. Beatus qui habet ſapientiam, lignum enim vitæ eſt iis qui apprehenderint eam. Vincit autem qui per Chriſti ſpiritum & fidem, peccatum, mortem & infernum ſuperat. Edit verò de ligno vitæ, qui per fidem in Chriſto congaudet, conſolatur, nutritur. Igitur pollicetur Vincenti per ſpiritum Chriſti, peccatum, mortē, infernū, & debellatū ac victū, edere quoq; de ligno vitę, hoc eſt participē eſſe omniū bonorū Chriſti ope-

Eccleſia paradiſus vocatur.


rum & meritorum, quæ omnibus suis quæ omnibus suis membris vincentibus, (alioqui enĩ eius non essent mẽbra) cõmunicantur & impartiuntur.

Secunda pars, quæ secundam continet epistolam.

Summariè obseruanda.

Primò ob varia commendabilem reddit episcopũ, & communitatẽ cui mittitur. Secundò ad constantiam exhortatur & ad eorum quæ prædicit malorũ tolerantiã. Demum victoribus coronam pollicetur.

Quadrat hæc epistola veris fidelibus iam probatis, & multa perpeßis, quibus & alia æquo animo sunt perferenda.



T *angelo ecclesiæ Smyrnæ scribe?* Ex iis quæ superi⁹ annotauimus, cõpertum est ea quæ scribũtur ecclesię Smyrnæorũ angelo, & ipsi eccle-

ecclesiæ,aliis quoque vniuersis ecclesiis particularibus & angelis scribi quibus etiam hæc conueniũt quæ scribuntur.Prius tamen videndum qua ratione conueniat hæc dictio Smyrna vniuersali ecclesiæ Smyrna autem & Smyrrhis idẽ sunt.Porro vt liquet ex Plinio naturalis historiæ lib.12.Myrrha est arbor parua, cuius altitudo ad quinque ascendit cubita, nec sine spina,nimirum caudice duriori ac spinoso.Sudat autem stactẽ magni precij,& odoratam,omnibus pręponendam.Sic ecclesia parua,id est humilis, & abiecta, coram oculis propriis parua,& à malignãtiũ synagoga abiecta, caudex durus & spinosus,quia ecclesia impiis dura spinosa & intractabilis videtur, idque ob diuersas pręssuras quibus in carne affligitur.Promanant verò ex ea summi odoris guttæ, supremiq́ue precij:quæ ideo ad sponsum dicit Cãt.1. Dũ esset rex in accubitu suo,nardus mea dedit odorẽ suũ. Fasciculus myrrhę dilect⁹ meus mihi, inter vbera mea commorabitur.Hæc est quæ ascendit per desertum sicut

Myrrha.

Ecclesia nonnullis spinosa videtur.

virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris &c. Toti igitur ecclesiæ commodũ est hoc nomen smyrna siue myrrha. *Hæc dicit qui est primus & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit.* Id est, deus, & homo. *Scio opera tua, & afflictionem, & paupertatem.* id est, hæc approbo, mihique placet tum opera quæ sunt fructus fidei, tum afflictiones ab impiis & persecutoribus immissæ. Ea quoque animi afflictio qua boni solent affligi ob impiorum perditionem dolentes, & aliorum scelera deflentes, simul & dei contemptum, quod potissimũ est spiritus dei signum. idcirco Ezech. 9. frontes gementium propter abominationes quæ à multis fiunt, obsignari iubentur. Tertio eius approbat paupertatem, tum rerum, tum spiritus. Hæc autẽ est vera humilitas, qua sibi fidelis nil asscribit, sed oĩa ei à quo emanant attribuit, & nil magni de se sentit, sed cum Paulo non arbitratur aliquid se comprehendisse in via dei. Qui autem hunc in modum pauperes sunt, sua & seipsos parui facientes, vere spiritus diuitiis ditantur

Quid vera humilitas.

tur

tur, vt sequitur. *Sed diues es,* scilicet thesaurum spiritalem in corde habés, Christum scilicet per fidem. de quibus diuitiis inquit Petrus, Elegit nos pauperes in hoc mundo, diuites autem in fide, Et.2. Corinthio.6. Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes, Vere omnia possidet, qui omnium creatorem & dominum in corde retinet. *Et blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt,* id est, Et blasphemias & conuitia noui quibus illi te afficiunt qui sese iudęos gloriantur, Quanquam vero sint secundum carnem, veri tamen non sunt Iudæi. Non enim qui in manifesto & carne est iudæus, deo gratus & acceptus est, sed qui corde circuncisus est, & Christum confitetur. Hi igitur non sunt Iudæi, id est populus domini, *Sed synagoga Satanæ,* id est congregatio aduersariorum & contradicentium veritati, aptum profecto nomé, quo impostores & pseudoapostoli Synagoga Satanæ dicantur, *Nihil eorum timeas quæ passurus es,* Sanctos verosque fideles hic

Quis vere diues.

Parati esse debemus ob veritatē pati.

exhortatur spūs sanctus, vt dū in medijs malis sunt, sicut præterita sustinuerūt, ita ad futura (veritatis caussa) quæque perferēda fiant paratiores, nullisque deterreantur aduersis, minimè etiam eos vereantur qui occidunt corpus, sed eū qui potest corpus & animam mittere in gehēnam: quia qui amat animam suam in hoc mūdo, pdet eā. Quòd si dixerint quę sunt ea quæ passuri sumus. *Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem vt tentemini.* Quoniam impiorum rex est diabolus, Iob. 41. eo quòd eius viuāt arbitrio, ideo quicquid sub crudeli satanæ imperio contra pios moliuntur, Dominus ipsi diabolo adscribit dicens, Ecce missurus est diabolus. quia eius suggestu, per alios fiet antichristos. his itaque vtitur deus tanquam instrumēto, permittens sanctos ab eis affligi, & hoc vt tententur, id est vt ipsa tentatione palam fiat quod in eis latet, an in eis sit vera fides suis cum fructibus. Vt verò inter tribulationes ęquo sint animo, pximam eorum denunciat liberationem

Diabolus impiorum rex.

Malis deus vtitur vt instrumētis.

nem, inquiens. *Et habebitis, tribulationem diebus decem.* Id est breui tempore. Quemadmodū enim longum, longo tempore, ita breui breue figuratur tépore ei.q.igitur.d. Fidelis in afflictione positus semper id ob oculos habeat: Breui admodum tépore patior, dies præpropere implebuntur, tunc pacis & tranquillitatis instabit tempus. Ad hæc, maiori tribulationū patientiæ spōdet præmiū. *Esto fidelis ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Quasi dicat, vide ne à fide vera desciveris etiam ad mortem vsque certās: quia qui vsque in finem perseuerarit, hic saluus erit. Perseueranti corona promittitur, quæ victoris est præmiū. Nemo enim coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Idem verò est legitimè certare & fidelé ad mortem vsque se præbere. *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.* Quasi dicat non tantum Smyrnęis fit promissio, sed cuilibet vincenti. non enī est acceptio personarum apud deū, quapropter quilibet audiat & intelligat, quid spiritus polliceatur omnibus ec-

Fidelium afflictorū cōsolatio.

In fide persistendum.

clesiis. Quod verò maximè pollicetur declarat. *Qui vicerit, nō lædetur à morte secunda.* Prima mors quam incurrit Adam & genus humanum, peccato mortali fuit immissa. Et est mors animę, quæ opponitur vitæ quā per Christum recepimus. Mors autem secunda est mors corporis, quæ ex prima sequitur tanquam eius stipendium. Quisquis verò legitimè certauerit, & si corpore moriatur, non tamē ab ipsa corporis morte lædetur: quia est illi initiū vitæ & gloriæ: impiis autē & incredulis gehēnæ est exordiū, quare mors peccatorum pessima: & econtrario preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius.

Duplex mors prima, & secunda.

Pars secunda epistolā Tertiā capiens.

Summariè obſeruanda.

Primò eum cui ſcribit, multas ob cauſſas collaudat.

Secundò reprehendit, & ad reſipiſcentiam hortatur.

Tertiò duram & aſperam addit commiñationem.

Tandem victori pollicetur mercedem.

Quadrat autem eccleſiis in quibus eſt veritatis conſtantiſsima aſſertio, & ob eam à pſeudo apoſtolis pergrauis afflictio.



T *Angelo Pergamẽſis eccleſię ſcribe.* Cęterorũ nominũ more & hoc nomẽ, Chriſti accõmodum eſt ecclesiæ. Vox enim hæc πέργαμος, ſi nõnullis græcis credatur, latinis altitudinẽ ſonat. Pergama quoque arces Troianæ erant, à quibus omnia celſa ædificia pergama nuncupata ſunt. Quid porrò præcelſius ipſa ſancta Chriſti eccleſia? Cuius conuerſa- *Pergamos.* *Eccleſia excelſa.*

tio in cælis eſt;& quæ ſapit ea quæ ſur ſum ſunt,& non ea quæ ſunt ſuper ter ram.Inde.gal.4.dicitur, Mater noſtra Hieruſalem,quæ ſurſum eſt, affectu ſci licet & conuerſatione. *Qui habet rom phaã vtraq; parte acutã.* Quia eos eſt re prehẽſurus,& cõminatur⁹,ideo vt eos terreat, proponit quomodo iudex ſit ventur⁹,cuius iudicio poterit reſiſtere nullus,Et ſic iudicium Chriſti dicitur rõmphæa vtriuſque parte acuta, eò ꝙ inuincibile ſit verbum ac iudiciũ Dei. q.igitur.d.Is qui loquitur, ille eſt cuius verbo nullus obſiſtere poteſt, ſed illi omnia parent. Ipſe enim dixit, & facta ſunt.Velle enim & Dei dicere idẽ ſunt,quare verbum eius ſiue iudicium dicitur gladius vtrinque exacutus.

Inuincibile dei verbum.

Scio opera tua,& vbi habitas,vbi ſedes eſt ſatanæ. Cum ſanctos alloquatur ſcire hic vſurpatur pro noſſe opera,notitia quidem quæ eſt cum gratia. Et laudibus euehit eos fideles qui commorantur vbi ſedes eſt ſatanæ,id eſt perſiſtunt in fidei veritate & eius fructibus, quanquam plurimum contrà nitantur plerique, in quibus regnat & dominatur

Regnũ ſatanæ,impij.

dominatur satan ac residet, quorum pater est. Ioan. 8. Et ideo eos commendat, quia vbi maior vis & pugna, ibi maior victoria, & corona. Et fidem Christi retinere tempore crucis & afflictionũ, heroicæ virtutis est functio. Ideo peramplius dilatat dicens: *Et tenes nomen meum, & non negasti fidem meam in diebus in quibus Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, vbi satanas habitat.* Quasi dicat, Equidẽ mihi omnino gratum & acceptissimum est quòd scilicet tu videns alios ob nomen meum pati & perimi, à mei nominis cõfessione proinde non es auulsus aut auocatus. Etsi ad vnicum sermo dirigi videatur, omnes nihilominus sanctos qui Pergami erant, & omnes ecclesias ita in fide roboratas ac firmas alloquitur, prout Antipas est omnium typus qui pro Christo aduersa perferunt, aut perimuntur Antipas enim contra omnes interpretatur. Est enim christianorum sanctorum indicium prorsus à communi hominum iudicio alienum, quandoquidem patrem & matrem &c. abrenunciare, vitæ etiã

Christo ꝑgrata sui nominis confessio.

Antipas

Piũ Christianorũ est indicium.

propriç veritatem præferre, alienum sanè est à vulgari hominum sententia. Hinc omnes veri fideles antipę sunt, Huius verò Antipæ martyrium ad hoc seruari græca referunt scholia, cuius tanta in tuẽdo euãgelio fuit constãtia vt etiam se explorãtibus & obseruãtibus multa animi fiducia verbum dei loqueretur. *Sed habeo aduersus te pauca.* Sed cum Christus aliorum piacula in sequentibus solum in lucem proferat, & non episcopi, quomodo dicit aduersum te? Hic edoceris quanta diligẽtia oporteat episcopum vigilare, cum populi flagitia episcopo asscribat Christus, vt sequitur, *Quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari.* Immissum scandalum coram filiis Israel, fuit huiusmodi, vt fidẽ facit Numero. cap. 25. Populus Balac, siue Madianitę, miserũt speciosas è suo populo mulieres Israelitis, vt eos ĩ idolorum cultũ, & scortationem pertraherent & allicerent: à quibus seducti Israelitę de idolothytis manducarũt, & multa nepharia perpetrarunt, lege tamen

Asscribit deus populi peccata prælatis.

Balac.

tamen eorum inhibita. Quòd vero Balaam edocuerit regem Balac mittere illud ſcandalum coram Iſraelitis, quãuis ita minime planè legatur, nemo tamen ſani iudicij id negabit, cum dicatur. Numero. 24. hac verborum ſerie: Dixit ipſe Balaam ipſi regi Balac: Pergens ad populum meum dabo tibi conſilium, quid populus tuus huic populo facere debeat. Et poſtquam illud dixit, ſequutum eſt illud ſcandalum; quo ex loco videtur eius factum conſilio. Huiuſmodi vero conſilium eius doctrina dicitur. Duo igitur ex tali conſilio & ſeductione emanabant ſcelera, fornicatio ſcilicet, & idololatria; comedendo immolatitias idolorum carnes. Aſſerit Ioſephus per eam laſciuiam huc adductos Iſraelitas, vt oblata Beelphegor ederent ſacrificia. Et ſic hanc redarguit eccleſiam de his ei duobus peccatis. Inſuper ſimplicis fornicationis eam arguit, eò quòd vxores facerét communes, vt ſequitur. *Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Addunt aliqui Græcorum

Balaam. *Ioſephus.*

exemplaria, quod odi. Videntur quidem Nicolaitarum & Balaam doctrinæ in vnum eundemque tendere scopum. De Balaam paulo superius sat (meo iudicio) dictū est. vtraque enim oēs mulieres cōmunes facere videtur, siue coniugatas, siue non. Si enim Nicolaitarum doctrina erat vxores prostituere quibuslibet, à fortiori minimè coniugatas, nec matrimonij alligatas vinculo, communes dixerat: quod impiissimum erat, Ideo addit. *Similiter tu pœnitentiam age.* Tu scilicet qui habes tenentes Nicolaitarum doctrinam: quia nullo modo sufferendi sunt hæretici & impij qui hæc agunt quæ ex diametro pugnant contra legem Dei, & vt plurimum nituntur in fidem & eius fructus. Videant igitur hi quali subiaceat iudicio, qui fornicationes publicas & adulteria impune permittunt si pœnitentiam non egerint. *Si quo minus, veniam tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Alloquitur episcopum, & hortatur vt pœnitētiam agat, quia ei attribuuntur peccata populi ob eius negligentiam cōmissa

Fornicaṫiōes haud quaquam toleranda.

missa. Adhortatur præterea vt pœnitentiam pro illis agat, deflendo & corrigendo eorum peccata, quod est prælatorum officium, peccata scilicet populi comedere, id est precib⁹ & pœnitentia deum ad misericordiam flectere, vt illis peccata condonare velit. Aliàs si mediatorem non agat pastor inter deum & populi piacula, sequitur animaduersio. *Pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Id est, citò ab eo procedet ira illius, & solum dei verbum aut velle sufficit ad impios perdendos, idque in momento, & ictu oculi: sicut Dathan & Abyron Ananiam & Sapphiram perdidit. *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.* Hic primus locus in superioribus expositus est. Sequuntur autem tria quæ vincentibus pollicetur: quorũ prius sequitur: *Vincenti dabo edere de manna abscondito*, siue manna absconditum. Per manna intelligitur panis vitæ, qui est Christus, dans vitam iis qui vincunt mundum, carnem, & diabolum. Et contra errorem Balaamitarum, & Nicolaitarum,

Prælati est populi deflere peccata.

Prælatus mediator.

Christus manna.

qui immolata idolis comedebant in eorum venerationem & cultum, addunt Græci, dabo, edere de manna abſcondito. quaſi dicat, Contra impuros & immundos cibos idolis immolatos, dabo vincentibus cibum purum, ſcilicet per manna figuratum, ſecundum quod ſequitur. *Et dabo illi calculum candidum*. Calculus lapis precioſus eſt, alio nomine carbunculus appellatus, quia in tenebris refulget. Antiquitus autem dabatur iis qui vincebant in theatris & ſtadiis. Sic Chriſtus vincentibus ſpondet calculum, id eſt excellens præmium. Illud verò eſt ipſe Chriſtus. Nam ſicut calculus eſt lapillus pedem offendens ſi pede conculcetur & teratur: ita nocet iis Chriſtus qui eum opprimunt, & eius nomen prorſus extinctum volunt. Calculus etiam ſemper durus eſt, minimeque cedens. Ita Chriſtus ſemper inuictus. Candidum autem aſſerit, id eſt opinione & fama fulgentem Chriſtum prædicat: cuius & nomen & verbum in omnem terram exiuit. Tertium

Carbunculus.

Chriſtus excellentiſſimum premiũ.

Chriſtus candidus.

tium ſubdit quod pollicetur præmiū. *Et in calculo nomen nouum ſcriptum, quòd nemo ſcit, niſi qui accipit.* Nomen Chriſti, nomen eſt quod eſt ſuper omne nomen, quòd ſit deus, & filius Dei naturalis. Multi quidem alij dicuntur filij Dei per adoptionem, ſed iſte ſolus per naturam. Et ideo nomen nouum eſt, ſcriptum in Chriſto qui eſt calculus, quia deᵒ eſt & homo. Et illud nomen nemo accipit, id eſt credit Chriſtum eſſe filium Dei naturalem, niſi accipiat à Deo per reuelationem & fidem, quæ eſt Dei donum. ad Epheſios primo. Et vt dicitur. primę ad Corinthios duodecimo, Nemo poteſt dicere dominus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto. Pari ratione cum dixiſſet Petrus, Tu es Chriſtus filius Dei viui &c. reſpondit Chriſtus, Caro & ſanguis non reuelauit tibi, Sed & quia hoc ſpecialiter à Deo reuelatur, & eſt Dei donum: dixerat enim Chriſtus, Nemo poteſt venire ad me, id eſt credere in me, niſi pater traxerit eum. Hinc

Nomen chriſti nullus niſi reuelatione nouit.

liquet neminem ſcire, ſiue ex animo in Chriſtum credere, niſi id Dei dono acceperit.

Sequitur quarta pars, ſiue quarta Epiſtola.

Summariè obſeruanda.

Hac in epiſtola primò habens à quo, & ad quem ſit emiſſa.
Secundò commẽdationem, reprehenſionem, comminationem, exhortationem, & cõſolationem.
Demum mercedem ſpondet victoribus.

Quadrat autem eccleſiis in veritate perſiſtentibus, quãquam impoſtorum multitudo obſiſtens eandem impugnet.

Quarta pars, ſiue quarta Eccleſia.

Et



T angelo Thyatiræ ecclesiæ scribe. Et hoc nomē Thyatira, vt & præcedentia, Christi vniuersali ecclesiæ aptum est. Interpretatur enim sacrificium contritionis. Nam, θυατίας, sic interpretatur, à θύω, quod est sacrifico, & τείρω, quod est tero. Quid verò est vera Christi ecclesia, nisi sacrificium? Omnes enim veri fideles se Deo sacrificant in hostiam viuentem, sanctam, & Deo placentem. ad Roma. 12. Est autem sacrificium contritionis veteris hominis, quia qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. *Sacrificat se deo veri fideles.* *Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes similes aurichalco.* Præter ea quæ superius exposita sunt, adiungit quòd est filius dei naturalis scilicet, vt fidentius speremus hæreditatem filiorum Dei per adoptionem: quia filius Dei naturalis promittit, cuius est hæreditas.

Fideles filij dei. Si enim filij Dei per adoptionem fuerimus, erimus quidem hæredes Dei, sed & cohæredes Christi: vt dicitur ad Romanos octauo. Et quia denique paulopost dicit, Scient omnes ecclesiæ, quia ego sum ille scrutans corda: ideo a principio se asserit eum esse qui habet oculos tanquam flammam ignis, id est viuacissimam cognitionem. Insuper quia fideles adhortatur ad constantiam, ad mortem etiam vsque perferendam quod efficit charitas, ideo dicit se habere pedes aurichalco similimos; quibus diximus exprimi summum charitatis Christi ardorem. Suo autem exemplo sicut seipsum & animã suam pro nobis posuit ita pro eo & fratribus debemus animas nostras ponere. *Imitanda Christi charitas.* *Noui opera tua, & charitatẽ & ministerium & fidẽ & patientiam tuam, & opera tua, & nouissima plura prioribus.* quasi dicat, Mihi placent opera tua, quia charitate sunt condita, & ex ea prodeunt. Præ cæteris verò mihi pergratum est ministerium tuum. Ministerium intelligas, monendi, corripiendi, docendi, iuuandi *Quod deo potissimum placet ministerium.*

iuuandi & instruẽdi munus, & officiũ, atque id genus alia faciendo opera. Et horum omnium fundamentum approbo, videlicet fidem, & patientiam, q̃ perfectũ opus inter aduersa ostẽdit. Et quia parua sunt hæc, nisi augeãtur, & incrementũ capiant: ideo eam laudat Thyatirensiũ ecclesiã, quia nouissima opera plura ac ãpliora sunt prioribus. Superius verò ecclesiam reprehendit Ephesinam, eò quòd charitas augmento careret. Quæ enim à spiritu Dei in nobis insita sunt, incrementum quærunt continuum. *Sed habeo aduersum te pauca, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit prophetam, docere, & seducere seruos meos, scortari, & edere ex iis quæ simulachris immolantur.* Cum Iezabel vxor Achab equorũ vngulis cõminuta fuerit, & discerpta. 4. Regum 9. notum est Iezabel hoc in passu non pro illa aut quauis altera muliere, sed pro synagoga omnium pseudoapostolorum sumi, qui persequuntur ministros Christi, & in eos sæuiunt, vt

Adeo nobis collata dona incrementum expostulant.

Iezabel.

ipſa perſecuta eſt Heliam prophetam, aliis ab ea occiſis prophetis. Quemadmodum enim Ioannes baptiſta dicitur Helias in virtute: ſic omnia Antichriſti mēbra antichriſti nomine cenſentur. Et qui imitatur Ierabelem, dicitur ipſa Iezabel imitatione. Quòd ſi quæras, in quibus imitatur, tria proponit. Primo enī ipſa tropica Iezabel dicit ſe prophetam eſſe. Sic omnis hęreticus vendicat ſibi donū prophetiæ, & donū ſpiritus ſe habere ſancti prædicat. Secundò ſuadet hæc vmbratilis Iezabel fornicationem, maximè ſpiritualem, videlicet vt à deo & Chriſto domino noſtro incredulitate fornicemur, aliudq; amplectamur verbū quàm domini. Tertiò ſuadet vt colantur idola, vtque in eorum memoriis, feſtis, & dedicationibus, phanis, lucis, epulātiū & ludentium fiant conuentus. Ex pręſcriptis itaque liquidò conſtat eos hic carpi, qui in funditus radicitusque euellendis hæreſibus non dant operā. Hæc quidem in oculis noſtris modica videtur ſegnities & incuria, à qua parua ſit tantum ſequutura pœna: qua de

Fornicatio ſpiritualis.

Euellēdæ radicitus hæreſes.

re

re aduersus eos se pauca habere commemorat. Quàm graue porrò sit facinus & peccatum in oculis dei, nouit ille solus qui omnia diiudicat. *Et dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & nō vult pœnitere à fornicatione sua.* Tanta est dei maximi bonitas, & erga peccatores exuberans misericordia, vt semper pœnitentiç locum relinquat, si pedem voluerint retrahere, quod est tēpus acceptabile, & dies salutis. Quòd si lubés & ex animo minime pœnituerit peccator ac resipuerit, tātæ est lōganimitatis & clemētiæ deus optim⁹, vt nō statim perdat, sed quò eum seruet, immittat afflictionem, & infirmitatem corporalem, vt tādem resipiscat, vt sequitur: *Ecce ponam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea.* Id est, immittam infirmitatem corporalem, vt lectū seruare cogatur. Quæ infirmitas sibi medicina erit, si resipiscat. Si autem in errore perseueret, ei erit damnationis initium, vt sequitur: *In tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam egerint ab omnibus operibus suis.* Id est, Primo percutientur prędictæ Iezabeles infirmi-

Dei longanimitas erga peccatores.

Infirmitas medicina est.

tate corporali & tẽporanea. Quod si non respuerit, affligentur maxima tribulatione, id est sempiterna damnatione, quæ omnium maxima est tribulatio, *Et filios eius*. qui scilicet iniquitate spiritualem matrem suam referunt, *Interficiã in morte*, Id est morte tum prima, tum etiam secunda eos percutiam. *Et scient omnes ecclesiæ quia ego sum scrutans corda & renes.* Id est cum viderint me punire non solũ externa opera, sed & ipsas interiores hominum cogitationes: tunc scient omnes communitates quia ego sum penetrans & intelligens quantumuis abdita hominum interiora. *Et dabo vnicuique vestrum secundum opera sua.* Hinc manifestum fit operibus mercedem reddi vel supplicium, vt iam prius dictum est, quomodo vnusquisque gloriam habebit in semetipso, & non in alio, onúsque suum portabit, non alterius. *Vobis autem dico & cæteris qui Thyatiræ estis, quicunque non habetis doctrinam hanc, & qui non cognouerunt altitudines satanæ. Quemadmodum dicunt, non mit-*

Deus cogitationes scrutatur.

nit-

tam super vos aliud pondus. Id eſt, vobis : nec iis qui non cognouerunt, id eſt, conſenſerunt elato animo ipſiſ ſatanæ : cuius altitudo eſt ſuperbia, animique elatio, non imponam aliud pondus, id eſt, nouo iudicio ac recenti ſupplicio haudquaquam vos onerabo, quia ſat eſt perſequentium onus vt grauemini. *Veruntamen quod habetis, tenete donec veniam.* Id eſt eã integrã & numeris omnibus abſolutam fidem quam vnuſquiſque accepit, retineat vſque ad Chriſti aduentum, id eſt iudicium, ſiue particulare, ſiue vniuerſale. quaſi igitur dicat, Seruate eam quam accepiſtis doctrinam, quia alio legis onere non vos premã, prout pſeudo apoſtoli efficere conantur. *Et qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli cõfringẽtur.* Igitur victoribus & perſeuerantib' in lege domini, duo pollicetur. primò q huiuſmodi reges cõſtituet, quippe q cohæredes chriſti regis regũ futuri ſũt, q eſt vniuerſorũ heres,

Altitudo ſatanæ.

Reges qui ſunt futuri.

ad Heb.1. Et quia erunt membra vnita corpori & capiti Christo, qui potestatem habet super omnes gẽtes iure naturæ: ideo & reges erunt cũ Christo iure gratiæ, quia cohæredes. Et ab effectu probat eos reges futuros, quia victor reget gentes, id est infideles & impios, virga ferrea, non quidem directionis, sed discussionis, quæ est potestas iudicandi, sicut dicitur. 1. Corin. 6. quòd sancti iudicabunt mundum, hoc est impios. Et hoc est habere virgam ferream, non ad dirigendum, sed conterendum. Ideo subdit, *Tanquam vasa figuli confringentur.* id est cito in momento, in ictu oculi, iudicio tali dato damnabuntur, quia iudicium illud erit virgæ ferreæ instar, quæ rectitudinem seruat, flexuram verò & mollitiem minime. Ita recto æquoque iudicio cum Christo iudicabunt, idq; sine misericordia liberãte, non tamen absq; misericordia alleuiante: quia nõ parcet in die vindictę. Quòd verò hæc omnia fiant verbo Christi & eiusdem nutu ad impiorum vltionem, probat per commissionem à patre acceptam.

Quare virgæ ferreæ æquiparetur ei iudicium.

Sicut

Sicut ego accepi à patre meo. Illam ſcilicet poteſtatem confringendi eos ſicut vaſa figuli. Eos quidem iudicandi, quia pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificāt patrem. Ioan. 5. *Et dabo illi ſtellam matutinam.* Id eſt Chriſtum, qui Apoc. 22. dicit, Ego ſum genus & radix Dauid, ſtella ſplendida & matutina. Sicut enim ſtella matutina diſcuſsis noctis tranſactæ tenebris futurum diē prænuntiat: ita Chriſto nato aut reſurgente repente verus affulſit dies, vt ad Roma. dicitur 13. cap. Nox præceſsit, dies autem appropinquauit. Præterea ſicut ſtella matutina dicitur lucifer, ita Chriſtus. 2. Petr. 1. Donec dies luceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris. Igitur ſeipſum promittit, victoribus videlicet, vniuerſorū hæredem. *Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat eccleſiis.* Ex priorū epiſtolarum enodationibus hic verſus ſatis dilucidatus eſt. Oſtendit verò ad vniuerſalem eccleſiam ſermonem dirigi, maximè quo ad promiſ-

Chriſtus ſtella matutina.

ſa. Faxit deus opt. max. vt quæ promit-
tit mereamur, & ipſe nobis largiatur.
Amen.

Caput tertium.

Summa videlicet.

*Tres epiſtolas ſcribit tribus angelis ſiue epi-
ſcopis Sardiorum, Philadelphienſium, & Laodicenſium.*
*Hac ſiquidem lege illis mittuntur epiſcopis
vt in alias dimittant eccleſias.*

Pars prima, quæ eſt epiſtola quinta.

Summariè obſeruanda.

Primùm habes ad quem ſcribat.
Secundò reprehenſionem, admonitionem, cõminationem, & cõmendationem.
Demum victoribus mercedem promiſſam.

*Quadrat verò eccleſiis in quibus nil penè
niſi mera videtur hypocriſis, quæ ore chri-
ſtum confitentes, factis negant.*

Et ange-



T angelo ecclesiæ quæ est Sardis, scribe.. Et hoc nomen vt cætera ecclesiæ vniuersali conuenit, idque ex nominis allusione colligere possumus. Nam Sardius quidam lapis preciosus est : & per allusionem ad illum preciosum lapidem hæc vrbs fuit Sardis nuncupata, quasi magni pretij, & inclita ac ingenua vrbs, quod & mysterio accõmodè facit. Nã ecclesia Christi verè ingenua & preciosa est, ingenti precio, sanguine videlicet precioso agni immaculati empta. 1. Petri. 1. quam exhibuit sine ruga & sine macula. *Hæc dicit qui habet septem spiritus, & septem stellas.* Christus scilicet, qui sua in potestate habet oẽs verbi Dei ministros, vt eos iuuet & seruet. Pseudo etiã apostolos, dispari ꝓfecto fine nẽpe vt eos ꝑdat. *Scio opera tua.* notitia quippe nõ approbatiõis sed simplici. Nã tãdẽ eorũ ac omniũ hypocritarũ improbat opera, qui quidẽ haud secus

Christi ecclesia preciosa.

Hipocritarũ improbata opera.

faciunt & degunt, quàm si præcordiorum suorum deus sedulus minimè esset indagator. Se penes enim dicunt: Non videbit dominus, & non intelliget deus Iacob. Psal.93. Circa cardines cæli ambulat, nec nostra considerat. Iob.22. Sed vt plurimum ipsorum eos fallit opinio & coniectura. Nam omnia nuda ac aperta sunt oculis eius Hebr.4. Hinc cuilibet dicit hypocritarũ. Scio opera tua. Scit equidem, est non approbat. Nam & ea scit quæ odit. Quid igitur de illis & omnibus hypocritis sentiat Christ⁹, audiamus. *Quia nomen habes quòd viuas, & mortuus es.* Paucis admodum his verbis omnium hypocritarum singula studia, viuendi modum ac vitam taxat, qui externorum operum splendore fucatísque sermonibus nonnihil ab hominibus esse censentur. Prætexunt enim sibi vitæ æternæ opera, iusta, sancta, & pia: lõge tamẽ diuersũ sentit iudex ille maximus, nẽpe illos esse nõ viuos, sed mortuos. quasi igitur dicat. Crederis viuus ob eam quam profiteris fidem: veruntamen mortuus es:

Viuendi conditio hypocritarum fucata.

quia

quia fidei neceſſaria non exequeris opera. Hic itaque nos admonet locus, alia Dei, alia hominum fore iudicia. *Eſto vigilans.* hoc eſt, vide, conſidera, ac ſuper te ipſo attende, me penes mortuo, quantumlibet aliis viuus videaris. Hæc verò cum ſequente particula particulariter ad epiſcopum refertur. *Et confirma cætera quæ moritura erant.* quaſi dicat. Sicut Chriſtus dixit Petro, Conuerſus confirma fratres tuos, aliàs morituros, ita epiſcopo præcipit, vt ſuo exemplo & doctrina ſuæ fideicommiſſos confirmet ac conſolidet, nè moriantur, aliàs morituri. Et hoc eſt ſibi & aliis vigilare; ſecus verò imperfecta eſt vita prælati, vt ſequitur. *Non enim inueni opera tua plena coram Deo.* Plena ſunt opera quæ abſoluta & perfecta ſunt. Quaſi igitur dicat epiſcopum arguens, Non equidem ſuo facit ſatis officio epiſcopus, ſtudioſam quo ad ſeipſum complectens vitam, niſi etiam ſuorum accuratè curam gerat. Quia verò incurioſus ac prorſus erga ſubditos negligens es, ideo

Prælati eſt in fide ſubditos confirmare.

Non ſat eſt prælato ſuiipſius ſolum curã habere.

non sunt plena & perfecta opera tua. *In mente ergo babe.* Id est recorderis *Qualiter acceperis.* traditiones scilicet apostolicas. *Et audieris.* subaudi verbum Dei syncere prædicatum. Sic in mentem præcipit reuocari vim spiritus, ac sensum verbi sancti quod excepit & audiuit episcopus siue hypocrita. *Et serua & resipisce.* Quia parum profecto est verbum Dei auscultare, nisi & studiose seruetur, ideo hortatur vt ea quæ ab eo iubentur, obseruet, & eadem opere complens resipiscat. *Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.* Comminatur dominus episcopo & omnibus hypocritis maximè: qui vt non vigilant, sic nec resipiscunt graue admodum ac plurimum pertimescendum, quòd scilicet ex improuiso & indeliberato venturus sit, ipsis inquam nec minimum suspicantibus. Hinc excerpis Dei irati fore supplicium, quòd impios finis eorum lateat. Ex aduerso verò id sancti perpetuis expetunt votis. dicentes, Notum fac mihi domine finem meũ, &c.

Verbum dei audiẽdum & seruandũ.

Suum finem ignorant impij.

Præscire cupiunt sãcti finem suum.

&c. Beatus qui hæc intelligit, id est in Deo vitam suam sitam esse, à Dei etiam arbitrio pendere. *Sed habes pauca nomina.* Id est paucos homines. *In Sardis.* Id est præfata in ciuitate, quæ vrbs magna est in Asiæ minoris Lydia. *Qui non coinquinauerunt vestimenta sua.* Vestimentum typus est bonorum operum, quæ si ex puro corde emanant, ac fide haudquaquam simulata, sunt munda ac splendida. E regione si ex fucato corde & hypocritico, iam sunt lutosa ac inquinata huiusmodi opera. quasi igitur dicat, Perpauci & admodum rari sunt inter vos qui seipsos non polluerint ac inquinarint hypocrisi, aut peccatorum sordibus. Hoc vnicum tamen mihi perplacet, quòd in medio vsque adeo peruersæ multitudinis nonnulli reperiãtur probi. Nam in medio multarum sordium rara est, & in paucis inuenitur mundities. Quia verò in medio coinquinatorum se impollutum seruare quidpiam magni est, ideo talibus mercedem pollicetur dicens. *Et ambulabunt mecum in albis.* Id est can-

Vestimentum bonorum operum typus.

Qui digni glorificatione corporis.

dore glorificati & clarificati corporis propter candorem innocentiæ ac puritatis animæ, eò quòd inter impuros & inquinatos sese puros ac synceros custodierunt. Hinc digni dicũtur hac corporis glorificatione. Sensus itaque huiusmodi est, eos mecum clarificaturus sum, ac meæ participes efficiã gloriæ. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis.* Id est summo decore, supremáque gloria. Apta equidẽ operi merces. Opus enim vita syncera est, merces vero per Christum ambulare cum eo in albis. Hoc primum spõdet victoribus præmium, & secundũ addens. *Et non delebo nomen eius de libro vitæ.* Si exquiras an quis possit deleri de libro vitæ: dicendum idẽ esse deleri & non scribi in libro vitæ, prout de impiis dicitur Psalm. 68. Deleantur de libro viuentium, id est, non habeantur aut computentur inter viuentes. Vnde & subiungitur ad maiorem explanationem. Et cum iustis non scribantur. quasi asserat prorsus idem fore deleri de libro vitæ, & iustis non ascribi. Fieri enim nullatenus

Quid deleri de libro vitæ.

nus

nus poteſt,vt qui ſemel in libro vitæ eſt deſcriptus, id eſt in mente diuina æterna & immutabili,tandem deleatur,ita vt ab ęterno prædeſtinatus,reprobus eſſe queat. Tertium quod pollicetur præmium ſequitur. *Et confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius.* Id eſt teſtabitur eos eius eſſe, ac proinde de ouili eius. *Qui habet aurem,audiat quid ſpiritus dicat eccleſiis.* In omnium epiſtolarum calce hunc verſum eccleſiis omnibus inculcat,quò (vt ſuperius diximus,cōmonſtret vniuerſali eccleſiæ eas delegatas, quibus ſeipſam perſpectè ac exploratè pernoſcat,ac in ſeipſam animaduertat ad particularis exhortationem.

Pars ſecunda, ſecundam continens Epiſtolam.

Summariè obseruanda.

Primùm episcopum ac ecclesiã commendat, & quas ob caussas, aperit.
Secundò aliquorum promittit cõuersionem, eamq́ue in tentationis tempore se seruaturum.
Tertiò admonet, persistentiæ victori præmium spondens.

Quadrat hæc epistola spiritualibus potissimum, qui in veritatis professione ac sententia instanter constant.



T angelo philadelphiæ ecclesiæ scribe. φιλαδελφία fratris amor interpretatur: quo nomine sanctæ ecclesiæ perfecta dilectio, imo ipsissima ecclesia aptissimè designatur. Quid (quæso) ecclesia dei, nisi fratrum ex animo se diligentium synagoga? Proinde hui⁹ ecclesiæ summus rector

Iesus Christus discipulis suis & omnibus fidelibus dixit. In hoc cognoscent homines quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem. Ioan. 13. Quid enim frequentius inculcat sermo Dei, vera dilectione? Si quis enim non diligit fratrem, in morte manet: ac proinde ex Christi ecclesia esse haudquaquam potest. Qui igitur non est φιλάδελφος, id est fraterni expers amoris, iure de ecclesia non est. Sicque congruit nomen hoc toti ecclesiæ. *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clauem David.* Quia scribebat sanctis, primo se sanctum dicit, vt sanctitatis eum verum fontem esse agnoscant, etiam & natura. hinc ipsi tale decantatur encomium: Tu solus sanctus, natura scilicet: cæteri verò participatione, & eius beneficio. Scribens præterea veritatis suffultoribus se verũ esse asserit, vt eum esse agnoscerent qui dixit: Ego sum via, veritas, & cæte. & ad eum confluerent sicut ad veritatis authorem. Item quia ex apertione & intelligentia sacræ scripturæ veritas deprehẽditur

Non est de ecclesia qui fratrẽ nõ amat.

Christus fons sanctitatis.

Sacræ scripturæ intelligentia à christo petenda.

ideo vt ab eo intelligentiam illius ſcripturæ ſacræ expoſtulent, dicit ſe habere clauem Dauid, quam multi ſacras ſcripturas aperiendi ac explicandi licentiam ſignificare volunt: eſtque ſequentibus verbis omnino accommoda interpretatio. ſequitur enim. *Qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Quaſi dicat. Vſque adeo peculiaris ac ſingularis eſt illi ſcripturæ clauis, vt nemo illum obſeruatum intelligentiarum diuinarum librum calleat, niſi ipſe Chriſtus à Dauidis radice promanans adaperiat: qua de re clauis Dauidis dicitur, id eſt illius qui ex Dauidis ſemine eſt. Cui verò è regione lubuerit aperire, perfacile omnia deprehẽdet. Admonitos igitur his verbis nos vult Chriſtus, nos non poſſe noſtris tantum innixos viribus, ſepoſitóque Dei & Chriſti Ieſu ſpiritu, ad ſenſuum ſacræ ſcripturæ ſynceram intelligentiam peruenire. Proſunt etenim quamplurimum ſi Chriſti ſpiritus adſit: quia ipſe eſt qui ſuo ſpiritu fidelibus aperit, incredulis vero ſuum ſubdu-

Noſtris viribus ſacram non poſſumus intelligere ſcripturam.

ſubducens ſpiritum claudit. *Scio opera tua.* Id eſt, noui,& grata ſunt mihi opera tua. Etſi fidelium opera ex Deo ſint, noſtra tamen dicit, vt intelligamus in bono opere aliquid de noſtro exiſtere. Quanquam enim Dei agricultura & ædificatio ſimus, non tamen negandum nos Dei eſſe cooperatores, rectè tamen donis ſpiritus ſancti vtentes, quibus nos admonet & exhortatur, vt ſequitur. *Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere.* Id eſt veram ſcripturæ intelligentiam, quam nemo poteſt à te auferre,& in errorem mittere. Quis enim talem excæcabit vt veritatem perlucide non conſpiciat? Tibi, inquit, ſpiritus ſancti donum excipienti, ac bene ſubinde vtenti claudere poteſt nullus, hoc eſt diſturbare,& à vera intelligentia auocare, quia oſtium ſpiritus ſancti munere tibi diductum ac reſeratum eſt. Sed quibus aperit? veris humilibus. Hinc addit. *Quia modicam habes virtutem.* Hæc eſt ſuiipſius perfectiſsima abiectio, ita vt ſit ſenſus. Hac cauſſa

Quib' aperiatur sacra scriptura. tibi sacræ scripturæ ostium adaperui: quia quàm in propriis oculis tibi ipsi modicus & exiguus videaris, studiose conspexi: ad hæc, quòd de te nil altum aut superbum sentias. Hoc siquidem cuilibet piorum dictum est, de quibus ad patrem Christus. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, in oculis propriis ac sententia scilicet, & reuelasti ea paruulis, id est humilibus, de quibus Psalmista, Sapientiam præstans paruulis. Psalmo. 18. Et Psalmo. 118. Intellectum dat paruulis. Nequit igitur sacra scriptura comprehendi nisi à coram domino paruulis. Aliam huius apertionis ostij etiam profert rationem. *Et seruasti verbum meum,* hæc est humilium singularis virtus, in primis seruare verbum Dei. Qui verò Dei verbum seruat, se dignum reddit vt multo amplius ei reseretur prędictum ostium, non obseruantibus autem, sed contemptoribus ex opposito non iniuria claudatur. *Et non negasti nomen meum.* Tertiam adfert rationem quare nonnullis illud sacræ

Clauditur sacra scriptura contéptorib' eius,

cræ ſcripturæ oſtium diſcludat, quā-
do quis ſcilicet non veretur, nec per-
timeſcit in mediis etiam ſuppliciis o-
mnigenies, ſed neque inferi portas,
confiteri Chriſtum crucifixum, Iudęis
quidem ſcandalum, & gentibus ſtul-
titiam, conſentaneum profectò eſt
Chriſtum ei dare os & ſapientiam
cui obſtare minimè poſsint eius ad-
uerſarij. Tres igitur ob has cauſſas
Chriſtus deus, tum huic eccleſiæ tum
aliis ſacræ ſcripturæ oſtiū aperit, ſuo
ſpiritu veram donans intelligentiam
eius, ſicut apoſtolis aperuit ſenſum
vt intelligerent ſcripturas. Et ob ha-
rum virtutum penuriam ac carentiam
à nonnullis aufert verbum ſuum, &
denegat ſpiritus ſanctus, ne illis an-
nuncietur euangelium, vt Acto. 16.
apoſtolis vetuit ne in Aſia loqueren-
tur verbum Dei. Poſtquam tantis hūc
epiſcopum & communitatem cumu-
lauit laudib9, ſequitur multa cōplectēs
promiſsio. *Ecce dabo de ſynagoga ſa-
tanæ*. Id eſt, Efficiā vt cōuertantur ali-
qui de aduerſariorum congregatione
ad fidem meam, & maximè eorum

Chriſtus ſcripturas ſuo ſpiritu adaperit.

Qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt vere & re ipsa: quia qui de prosapia Abrahæ ortus est, & in manifesto Iudæus atque in carne, non propterea verus censetur Iudæus, sed qui Deum & Christum syncere fatetur, ac intrepidè. Sic nec omnes qui ex Israel sunt, Israelitæ. Subducam & auferam igitur à synagoga satanæ ex illis. *Et faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos.* Id est, me eos vocante ad fidem, & patre trahente, venient credendo; & adorabunt, me confitentes deum & hominem. Idque ante pedes tuos te illos edocente, prout Paulus iuxta pedes Gamalielis didicit legem Dei. Hunc in modum hi studiose audient verbum Dei iuxta pedes tuos, te inquam instruẽte conuertentur. *Et scient quia ego dilexi te.* Id est, Audientes ipsi verbum Dei, & arcana ex ore tuo, experientia discent quòd te vt plurimum dilexerim. Amicis equidem secreta patris pandit Christus, vt dicebat apostolis: Iam non dicam vos ser-

Quis verus Iudæus.

vos seruos, sed amicos: quia quęcuncunque audiui à patre, nota feci vobis. Argumentum igitur maximium di lectionis Christi erga aliquem expeditè colligimus quando patris secreta illi detegit, & præfatum patefacit ostium. Alia promissio. *Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ.* quasi dicat, Quia tu ò fidelis verbi mei assertor, ip sum verbum patiētiæ meæ, id est, propter quod constabiliendum ac prædicandum passus sum, sed & in te & aliis seruis ac membris meis in dies patior, indefesso sustinuisti animo, ab eo ob quæcunque aduersa minimè deficiēs: *Ego seruabo te ab hora tentationis.* Corde solido & animi ęquitate te dotabo, ab omni tentationis exuperantia longè alieno, ne à veritate deficiens in tētationem prolabaris, hora, id est, tentationis tempore, etsi illa tentatio ingens futura sit, vniuersalis, ac diuturna, vt sequitur: *Quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra,* id est tanta erit, vt se à calore eius abscondere & eximere queat nullus. Nā si fieri potest, seducentur & electi: etiam

Argumentum dei dilectionis.

In mēbris suis patitur Christus.

autem ne succumbas protegam, & ne Thyatirenses & vniuersi fideles animum despondeant in hora tētationis, expectantes, & dei subsidium crebris votis implorantes, ideo subiungit: *Ecce venio cito*: Nimirum tibi auxilio futurus, quasi itineri accinctus. Prope est enim dominus omnibus inuocantibus eū in veritate. Ast interim *Tene quod habes*, id est fidem, & eius fructus, ne si ab his defeceris; alius coronam tibi paratam præripiat, vt sequitur, *Vt nemo accipiat coronam tuam*, Id est, mercedem. Sed percontaberis, Cum gloriæ merces solum sit electorum, qui perire haudquaquam queunt, Christo potissimum de omnibus suis dicente: Nō potest quisquā eas rapere de manu mea: nullatenus etiā cōtingere potest nō coronari electū, quia eiusmodi sunt dona & electio dei, vt eū illorum pœnitere non possit, Rom. 11. qui fit ideo vt eius corona alteri tribuatur? Hunc in medū satis fit (meo quidē arbitratu) huic quæstioni, Cū Christus alloquatur populū aliàs gentilē, cōuersum tamen ad fidē suā, iudaicoq; populo suffectum ac succe-

Electi perire nequeunt.

ſuccedenté, iuxta eius promiſſum, Vocabo non plebem meam, plebem meã: non dilectã dilectã. &c. ad Rom. 9. & Ozeæ. 2. nũc cõminatur, cõmonés eos in fide perſiſtere, ne hic propulſetur populus, & Iudaicus vocetur. Quam quidem comminationé diffuſe Paulus ad Rom. 11. pertractat, dicés: Noli gloriari aduerſus ramos. Si enim naturalib⁹ ramis non pepercit, ne fortè & tibi nõ parcat. Præripit igitur alterius populi coronam populus, quando ad fidé acceſſitur, alter verò preſcribitur & excæcatur. Quãquã enim haud ſecus incidere queat quin coronetur elect⁹, ne tamen ob promiſſioné in deſidiã reſoluamur, quĩ magis ſúmopere operi nos impigre accingamus vigiles effecti: ideo exhortatur ad perſiſtentiã in veritate, vt obſeruent ne apoſtatent, comminationé addés, ne ſcilicet amittant coronã ſuã, ſicuti Paulus admonet ibidem, Qui bene ſtat, caueat ne cadat, licet electus perire non poſſit. Sed nobis hæc obiiciuntur, vt timeamus, & humiliemus nos ipſos sub manu dei, ab eo ſpiritum ſuum expetentes.

Quid ſit alterius accipere coronam.

Sensus igitur huiusmodi est. Tene, id est, persiste, sta, & ne ab his quæ habes, vllatenus desciueris, ne te dominus missum faciat, te execęcans & indurans Iudaici populi instar, aliumque populum conuocet, qui tandē tui loco mercedem accipiat, quam tu perseuerans es susceptus. Tua ideo dicitur, quia tibi promissa. Hac itaque interpretatione expiscari non poteris (etsi multi nitantur in contrarium) reproborū merita electis applicari, quia nulla sūt, cum non perseuerauerint. Solis quippe perseuerātibus pollicetur coronā. ꝙ verò corona eorum dicatur quam alter suscipit, intelligas opus est æternam gloriam omnium hominum coronam appellari, quia omnibus perseuerantibus promittitur: & hoc pacto accipit alter coronam tuam, id est, tibi promissam gloriam æternam, ad quam aliquando ius habuisti secundum præsentem iustitiam. non tamen illam adipiscitur quia tua fuerit, sed id accipit quod aliquando tuum fuit. est enim omnium electorum corona, gloria videlicet essentialis. Si quis enim suo labore

Reproborū merita electis nō accōmodantur.

bore & induſtria ſibi paret & acquirat regnum aliquod. & ſubinde illud deperdat, alius verò ſuo matre & ſua opera idipſum aſſequatur, iure profectò alterius & regnum & coronam cõſequutus dicitur: nec propterea dicendum ipſum ob primi labores ſibi paraſſe, quódve alterius ſibi apponantur & adſcribantur vires & conatus, ſed peculiares & proprij ſolum. tametſi rite dicatur regnum & coronam alterius adeptus. Sic & in inſtituto ſumẽda ſunt verba. Alia promiſſio. *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo dei mei.* Qui firmi & ſtabiles ſunt in eccleſia, columnę dicuntur, maxime cum fratribus ſint tum vtiles tum neceſſarij, quippe qui fratrum infirmitates tanquam perfectiores ſufferunt. Hinc Hieremias colũna ferrea dicitur, Hieremie 1. Et Gal. 2. apoſtoli columnæ dicuntur, quia firmi, & in fide cõſtantes, atque alios tolerantes & conſolantes. Pari argumento promittit efficere victorem columnam, id eſt, ſtabilire & firmare eum in fide, vt in eccleſia dei primatum teneat, quæ dicitur templũ

Solidi & firmi columnæ dicuntur.

Apoſtoli dicti columnæ.

dei,quia per Hierosolymorum templũ figurata. Hi igitur fiũt colũnę in ecclesia, qui in ea firmãtur, proximisq; sunt frugi & perutiles, prout colũnæ & firmæ sunt, & ædificium sufferunt. Huius verò confirmationis sequitur fructus: *Et foras non egredietur amplius.* Huiuscemodi vincens mũdum, diabolum & infernum, sic tandem obfirmabitur in ecclesia dei, vt ab ea nusquam apostatet & euellatur, quia nunquã vinci poterit. Alia promissio, *Et scribam nomen dei mei super eum.* Christus vt homo loquitur; qua de re deum suum dicit. Inscribitur autem nomẽ dei super aliquẽ, quando eius populo annumeratur, ac propter dei spiritum acceptum acclamare possit, abba pater, tanquam adoptiuus filius, & gloriari in spe gloriæ filiorum dei, *Et nomẽ ciuitatis dei mei Hierusalem.* Scribitur autem nomen ecclesiæ Christi super aliquem, quando prociue eius coram domino habetur. Sic omnes christiani ciues sanctorum ad Gal. 2. dicũtur. Dicitur etiã noua ecclesia dei propter nouũ hominem Christũ, qui cũa innouauit. præterea inquit.

Vt colũnæ ædificium sufferunt, sic constãtes infirmos.

Quid sit nomẽ ecclesiæ christi scribi super aliquem.

Quæ

Quæ descendit de cælo à deo meo. Quia ecclesiæ congregatio est vnio per fidé (quæ dei donum est, ad Ephe.1.) ideo dicitur descendere de cœlo, quia dei dono & gratia ecclesia vera in vnum confluit. Sinagoga auté satanæ de cœlo non descédit, sed potius de terra ascédit, quia eius sapiétia terrena, ac diabolica: filij auté dei non ex voluntate carnis, &c. *Et nomen meum nouũ.* Christi tandé nouo inscribitur nomine, qui ex eius est ouibus, auditq; & sequitur pastoré proprium. Horum autem triũ nominum inscriptio impartibilis est. Nam qui est dei & Christi ouis, ecclesiæ quoq; Christi ciuis dicitur. Huius itaque promissionis compendio promittitur victori quòd erit perpetuo ex electis in dei populũ, ouis ecclesiæ suæ demum ouis pastoris veri domini nostri Iesu Christi. *Qui habes aurẽ, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.* Superioribus locis is explicatus est locus.

Victoris & tiuis ecclesiæ Christi dicitur.

Pars tertia, quæ est epistola, septima, & nouissima.

Primùm reprehendit & exagerat deſidiã.
Secundò Comminatur, reſipiſcentiã ſuadens.
Demum miſericordiam mercedẽque victori pollicetur.

Quadrat hæc epiſtola in via dei torpentibus, qui plus æquo de ſe exiſtimant.



T *angelo Laodiceæ eccleſiæ ſcribe.* Hoc nomen Laodicea maximè vniuerſali eccleſię Chriſti accõmodum eſt, nã interpretatur populus iuſtus, à λάος, quod eſt popul9, & δίκαιος iuſtus. Quid autem conuenientius lepidiúſve de eccleſia dici poteſt, niſi quòd iuſtus ſit populus, cui fides ad iuſtitiam imputatur? Qua de re impij & peccatores ſecundum rei veritatem non ſunt de eccleſia Chriſti, merito ſcilicet, in conſpectu dei, ſed dicuntur eſſe numero, id eſt in hominum conſpectu, qui non niſi ſecundum externa

Quomodo dicẽdi ſint impij de eccleſia.

externa & quæ foris patent diiudicāt: quare recensentur hypocritę inter eos qui sunt de ecclesia. *Hæc dicit*, Christus scilicet, qui est *Amen*, Id est, vere, *Testis fidelis & verus*, quamobrē ei credēdum q his verbis tam studiose veritatem epistolam mittentis inculcat, vt de hic descriptis hypocritæ, quibus hęc mitti iubentur, nihil omnino addubitēt, sed veracissimum eum scientes pertimescant. Addit præterea splendidum quidpiam aliud de eo, & sequitur, *Qui est principiū creaturæ dei.* Etiam vt homo dici potest fons & origo omnium creaturarum, quia ipse est scopus, cui omnia quæ fecit deus, ab initio subiecit, eumque omnibus præfecit, sicque propter eum vniuersa à deo fuere cōdita. Quòd verò vt deus sit omnium rerum scaturigo, satis conspicuum est. Quasi igitur diceret, Qui loquitur, ille est in quo mouemur & sumus: Ideo quam plurimum timendus. *Scio opera tua*, scilicet esse imperfecta & mortua, quia fiunt sine charitate, licet cum fide, vt sequitur. *Quia neque frigidus es neque calidus.* Frigidus dicitur

Christus omnium creaturarū scop⁹.

Quis frigid⁹, quis calidus.

qui nullã habet charitatẽ: calidus autẽ qui fidei & charitatis feruorem habet. quasi dicat igitur. Non es prorſus incredulus, neq; vere fidelis, quia charitatis expers. *Vtinam frigidus eſſes aut calidus.* Vnũ minime peroptat, eũ ſcilicet eſſe incredulum ſiue frigidũ, eximie tamen eſſe calidum: ſicq; ſenſus eſt, Satius tibi eſſet, ſiue minus ſubſequeretur malũ & ſcelus, ſi omnino infidelis eſſes & incredulus, quàm ꝙ noſcas deũ, & factis abneges, ac diffitearis, ſicut dicit Petrus: Melius eſt, id eſt minus malũ, veritatem non agnoſcere, q̃ poſt agnitionem retrorſum abire. Idq; aſtipulatur dicto Chriſti. Seruus ſciens voluntatẽ domini ſui & non faciens, plagis vapulabit multis. Commodius eſt igitur legem haudquaquam agnoſcere, & ignorantia peccare, quàm ſcire, & ex induſtria & prudenter trãſgredi: ſicut multo grauius eſt dei dono accepto abuti ac ſpernere, quàm nunquam illo potitum fuiſſe. *Sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiã te euomere ex ore meo.* Quẽadmodũ aqua tepida nauſeã parit, vomitumque prouocat, ita inquit,

Grauius peccant qui prudẽtes peccant.

quit, quia tepidus es, id est fidem habes mortuam, nauseam mihi inducis, idcirco incipiam te euomere, id est abiicere ex ore meo, id est, a familiaritate & dilectione mea: & sic demum donis meis & spiritu meo priuaberis, ac relictus induraberis. Hæc omnia ad hypocritas sunt referenda, qui nullam prætquam mortuam fidem habent: tepidi sunt, intus mortui, licet exterius bonitatis speciem præ se ferant: qua de re nec calidi nec frigidi censentur: non frigidi, quia Christum credunt. non calidi quia charitatis expertes. Sunt igitur tepidi. Tepidum enim id dicitur, quod caloris & algoris est particeps, neutrum tamen est. hoc verissimum ex aqua deprehenditur tepida que nec frigida nec calida vllatenus dici potest. Ita sunt tepidi permulti christiani, qui participant cum calidis in fide & feruentibus, quia eandem sunt sortiti fidem, quanuis mortuam: & cum perfidis & incredulis participant, eò quòd mala exerceant opera, incredulorum instar: sed

Qui tepidi sint.

Christiani nonnulli tepidi.

illi ex ignorantia, isti verò notitia verbi eius accepta: quamobrem multo grauius peccant, & subinde euomuntur & expelluntur. O quàm extimescendum dei iudicium. Quemadmodum enim in vomitu, vomentis corpus huc illucque impellitur & conturbatur, & magno omnium membrorum tremore eiicit, nec vomitum cohibere potest: ita deus optimus max. quasi suo æquissimo iudicio coactus, summa cum ignominia ac abominatione hypocritas detestatur, propulsat & abiicit: & demum sic euomi dicuntur, quippe qui eius auxilio prorsus destituti tandem pereant. Nullus siquidem omnino à deo euomitur, nisi sit & ille reprobus. Electus enim quia perire nequit, nunquam penitus euomitur. Huius tepiditatis subsequitur caussa, *Quia dicis, diues sum & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser & miserabilis. & pauper & cæcus & nudus.* Egregia hypocritæ descriptio, qui se sola fide siue operibus diuitem esse arbitratur, ita inquam locupletem, vt nullius egeat. Quã verò lõgè alienum sentiat æquissimus iudex, conspi-

Extimescendum dei iudicium.

Deus hypocritas detestatur.

conspiciendum est, Et nescis (inquit) quòd tu es miser, id est plurium vltro citroque indigus: & miserabilis, quia totus miseriis scates, & talis, vt tui alios commisereri oporteat. Et pauper, omni spiritus virtute destitutus, sine consilio, sapiētia & intellectu, &c. Et cæcus, id est carens veritate ac sano iudicio. Et nudus, sine bonis operibus ex fide & charitate emanantibus. Inquires forsan: An non est aliquod remediũ hypocritis relictũ antequam prorsus euomantur? Ausculta insignẽ optimi ac clementissimi patris adhortationem, *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris.* Quia prius hypocritã declararat indigum, suadet in primis vt emat & comparet sibi aurum ignitum verè probatum per ignem. Sed si pauper est, vnde aurum sibi poterit constare? Quod est hoc emptionis genus? Emere à deo, idem est ac magno desiderio, maxima fide ad eum venire magnopere cupiētes ac desiderātes quod volumus ab eo obtinere, sicut Esa. 55. eo sensu accipitur, emere vinum & lac,

Quis admodum pauper.

Quid sit à deo emere.

cum monet deus, Qui non habetis argẽtum, properate, emite, comedite, venite & emitte absque vlla commutatione vinum & lac. Quod de vino & lacte audis, etiã de auro ignito intellige. Emere igitur aurũ à deo, idẽ est quod illud ab eo summe desiderare & pio affectu expetere. Hoc enim vnicum à nobis exigit deus, vt illi præbeamus cor nostrum. 23. Prouerb. dicens: Fili præbe mihi cor tuum. Obseruandum autẽ est studiosè id quod ab eo est emendũ, vt intelligant hypocritæ propriã imbecillitatem & fragilitatem, quodq; à seipsis ditescere minime queant, sed solo dei munere. Hinc dicit, Suadeo tibi emere à me, quasi dicat: Solus sum qui spirituales tibi queam impertiri diuitias, nec à te ipso aut tuis viribus ditari potes, Quid verò emẽdum à deo? *Aurum ignitum*, hoc est verbum domini, quod est desiderabilius multo super mundi aurum, lapidem preciosum multum, & ignitum vehementer. Sed quo igne? Spiritus dei, qui haud raro in scripturis per ignẽ figuratur, eò quòd illustret, emaculet, ac incẽdat. Etsi aurum

Quid à nobis exigit deus.

Verbum domini ignitum.

rum, siue verbum dei sit in hypocritis, nō tamen charitatis ardore ignitū, quia tepidi sunt. Ideo suadet non modò aurum simpliciter emere, sed addit ignitum, vt commonstret fidem absq; charitate mortuam esse, & ea sola aliquem diuitem effici minime posse. Hinc ait, *Vt locuples fias*, Illo auro ignito, verbo dei scilicet, recepto per fidem, & obseruato per charitatem, illudq; est remedium contra penuriam hypocritarum prædictam. Aliud verò contra nuditatem subsequitur, *Et vestimentis albis induaris, vt non appareat cōfusio nuditatis tuæ.* id est, Eme aurum ignitum quo subinde alba vestimenta tibi parare queas, quę sunt spiritus mūdities, quibus peccatorū sordes & maculæ absterguntur, remittuntur, teguntur, & nullatenus imputātur. Cum miro omnium spiritus dei charismatum decore hortatur nos id efficere, ne coram deo nudus appareat hypocrita, qui in hominū oculis diues videtur, id tamen in eius nō modicam perniciem & ignominiam, quādoquidem in iudicio homines eum perlucide iudicaturi

Fides siue charitate mortua.

Alba vestimenta.

sint.

ſint immundum & dedecorum, quem in mundo exiſtentes arbitrabãtur pluribus virtutibus adornatum. Et ideo dicitur cõfuſio nuditatis ſuæ coram deo & hominibus tale igitur eſt in præfatã hypocritę nuditatem remedium. Porrò quia etiam eum cæcum dixerat, ne videretur inſanabilis, adiecit. *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Collyrium genus pharmaci eſt, id eſt medicamentum ſeu vnguentum quo oculorum feces expurgantur, in primo ſtatim exordio nonnihil pungens, lachrymaſque inducẽs, demum aſpectum nitidiorem reddens. Collyrium hic ſumitur pro propriè fragilitatis accurata cognitione, & ſuiipſius ſũmiſſiõe ac abiectiõe. Qui enim in ſe tãquã ex ſe nil boni cõſpicit aut agnoſcit, ſed deo oĩa aſſcribit bona, is quamprimum quẽ per ſuperbiam viſum perdiderat recuperauit. quaſi igitur dicat, Tu hypocrita qui de te aliquid nimis ſuperbe ſentis & autumas, eme ex me collyrium quo tuos perlinias oculis, vt ſcilicet intelligas omne bonum à me proficiſci, ex te vero malum: & ſic perlucide videbis, deo attribuens

Collyriũ quid ſignificet.

Oẽ bonũ à deo pficiſcatur.

quæ tibi iniuria adſcribis, nilq; boni in te tanquam à te depromptum conſpicies. *Ego quoſcunque amo arguo & caſtigo.* Ne deſperatione afficerentur ij quos arguit, & quibus vomitum cõminatur propter correctionem eorũ, impræſentiarum correptionem & caſtigationem ipſam diuini eſſe ſignũ amoris (ad eorum ingentem conſolationẽ) declarat, quando lubenti excipitur animo. Quando verò nõ ſuſcipitur, vt in reprobis conſpicuum eſt eam non admittentibus, in eorũ vergit iudiciũ: & potius huiuſmodi correctio iudiciũ dici meretur quàm caſtigatio. Nõ enim diuini amoris ſed odij eſt argumentũ: qua de re non in exiguam cadit ſuſpicionem quòd deo is non ſit charus, nec è ſuorum filiorũ peculio, qui à deo nõ caſtigatur aut arguitur, & quod deterius ſi caſtigationem recuſat. Suſcipiẽda igitur eſt lubenti animo dei caſtigatio haud ſecus quàm ab optimo patre. Quem enim diligit deus, corripit. Prouerbiorum 3. Qui igitur ex deo eſt, cum ab eo caſtigatur, cum Tobia dicat: Benedico te domine de⁹

Correctio, diuini amoris argumentum.

Lubenti animo ſuſcipienda à deo correctio.

Iſrael, quia tu caſtigaſti me. Et cum Pſalmiſta, Caſtigans caſtigauit me dominus. Ex quibus deducendum vnumquemque (niſi ſit aut cæcus, aut recti iudicij expers) perfacile quid de eo ſit experiri, hoc eſt ſi dei flagello melior aut deterior efficitur: quorum alterum eſt reprobationis argumentum, aliud verò electionis: licet ea certa & indubitata eſſe ſigna non aſſeramus. Nouit enim deus ſua iudicia, *Aemulare ergo, & pœnitentiā age.* Id eſt me in teipſum animaduertente & corrigente, ne ſis tepidus, ſed zelo feruens, boni zelo ardeas, & peccatorum te capiat pœnitudo. Non enim te latet bonitatem dei ad pœnitentiam te adducere, maxime cum te caſtigat & corrigit. Hæc enim faciens deus monet te ad pœnitentiam, vt ſequitur, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.* Quaſi dicat, ſic te caſtigans, ſto ad tui cordis oſtiū, & ꝑ huiuſcemodi correctiones pulſans, vt mihi adaperias cor tuum, pœnitentiam agendo. Ne igitur in deſperationem labaris, quia tibi ſum proximus

mus, & præsto ad te illuminandum iuuandum & erigendum, &c. Vsqueadeo enim sum proximus, vt *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Prius est audire verbum dei quàm aperire, fides enim ex auditu. Et aperire cor suum verbo dei, idem est quod ex animo credere. Ostiũ igitur nostrũ pulsat de⁹, quando verbum suum immittit. Illi autem quis aperit, dũ sponte & vltro credit. Quod præterea inquit, intrabo & cœnabo cũ eo, illi me totum familiariter cõmittã, sicut promisit Christus; Si quis diligit me (quod est ostium reserare) & pater meus diliget eũ, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Nã mansionem facere & cœnare coincidunt. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & consedi cum patre meo in throno eius.* q.d. sicut oportuit me prius vincere inimicum & pati quàm intrare in gloriã: seruus etiam cum non sit maior domino suo, sed præclarè secum actum iri prospicit, si sit sicut dominus eius: ita

Nobis proximus Christus.

Quid aperire ostiũ Christo.

necessum est eum qui mecum vult coronari ac consedere, simul etiam vincere, meo tamen præsidio, & me simul vincente. Sicut verò conuincemus, sic & cõregnabimus: quod est in Christi throno sedere. Consedere enim idem prorsus quod cõregnare sonat. Electi igitur erunt cohæredes Christi. Ad Roma.8. & sic in eius throno & hereditate naturali Christi conregnabunt: idque pollicetur victoribus. *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.* Huius loci ex præcedentibus assume interpretationem.

Cũ Christo est vincendem antequã cõregnemus.

Hæc est igitur primæ visionis conclusio.

CAPVT IIII.

Liber secundus.

Visio secunda.

Summariè obseruanda.

Primùm in throno sedens describitur,
Secundò viginitiquatuor seniores in throno sedentem adorantes.
Demum oculata quatuor animalia deum laudibus cumulantia.

Pars prima.



Osthæc vidi, & ecce ostium apertum in cælo, Id est à prima statim visione pleniori sum prçditus mentis eleuatione, & mox in cælo vidi, id est in ecclesiâ militante, ostium apertum, id est mysticã dei & sacræ scripturæ reuelationẽ, vt in superioribus dictum est,

vbi quid sit ostiũ esse apertũ, explicuimus. quasi igitur dicat, dei secreta & arcana suæ militanti ecclesiæ detexit ac reuelauit Christus. Ecclesiam porrò per cælum significari, ex sequentibus liquido constabit. Per cælum etenim ecclesiam militantem intelligere necessum est ad finem vsq; & locum quo triumphantis ecclesiæ meminit. Obseruata igitur huius Apocalypseos materiã & argumentum ad finem vsq; de ecclesia militante, & eius capite Iesu Christo existere, de quibus mira & plenè sublimia typis & figuris exprimuntur. Quòd præterea ecclesia militans non incõmodè cælum dicatur, ex eius conuersatione cõstat, quæ in cælis est, ad Philip. 3. Et quia nõ quærit nec sapit ea quæ sunt super terram, sed quæ sursum sunt, eiusque vita abscondita sit cum Christo in deo, ad Colo. 3. Hinc dicitur ad Gal. 4. mater nostra Hierusalem, quæ sursum est. Ad hæc quia eius vita cælestis est, non iniuria cælum dicitur. Sed quã ob caussam hac in secũda visione potius q̃ in priore se ostiũ aper-

Ecclesia cælum dicitur.

Apocalypsis finis.

apertum conſpexiſſe cõmemorat Ioã-nes? Id ſanè non abs re, ſed in typum effectum eſt. Nam myſteria quædam ſublimia tum de Chriſto, tum de eius corpore & membris aperiri incipiebant, idque multo copioſius & perfectius quàm in priori viſione. *Et vox prima quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum.* id eſt, ſimul atque oſtium apertum conſpexi, multas audiui voces: inter cæteras verò prima quam audiui, ſimilis erat clangori buccinæ, id eſt magna & vehemẽs. Sed quæ eſt hæc vox tam ſonora, tam magna, carni timorem inducens inſtar vocis tubę, niſi hæc quæ ſequitur? *Aſcende huc, & oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc.* Quaſi dicat, vt ea quæ ſupra te ſunt, & facilè exuperant, intelligas, myſteria, ſcilicet diuina, te aſcendere oportet non quidem corporaliter, ſed ſupra teipſum, proprium iudicium, ſenſum voluntatem calcando, quia animalis homo non percipit quæ dei ſunt: & huius mundi ſapiẽtia ſtultitia eſt apud deum. Vt igitur quæ dei ſunt ſapias, te ſpiritualem eſſe oportet, & ſic ſupra

Quare oſtiũ Ioãni apertum.

Quid aſcendere.

te ipſum aſcendas. quod ſi feceris, oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc, id eſt futura in eccleſia Chriſti militante, oſtendam inquam ſub typis, figuris & ſchematibus. Qui autem præcepit & iuſſit aſcenſum, vnà effecit vt Ioannes aſcenderet, hoc eſt ſupra ſe eleuaretur, vt ſequitur: *Et ſtatim fui in ſpiritu,* Id eſt in ſpiritali viſione & imaginaria. Non enim verè in natura erant res quæ apparebant, neque ſedilia corporalia, neque leones boues aut aquilæ, ſicut nec lapides precioſi, ſed earum figuræ & ſchemata ab eo videbantur. Si verò dicas, Cum in prima viſione dixerit ſe in ſpiritu fuiſſe, minime etiam literis proditum ſit eum ad naturalem ſenſuum vſum rediiſſe, quomodo ſecundò dicit ſe in ſpiritu fuiſſe, quaſi recens raptum, cum fuerit continue & à principio in ſpiritu ſemperque eleuatus? Obſerua in diuini ſpiritus efficacia incrementum eſſe: & ideo cum ſecundò dicit ſe fuiſſe in ſpiritu, perinde eſt ac ſi dicat ſe ſublimius euectum, quia potiora erat viſurus. *Et ecce*

Non verè in propria erant natura quæ Ioãni apparebant.

Quare ſecũdo Ioãnes raptꝰ dicitur.

ecce ſedes poſita erat in cælo , & ſupra ſedem ſedens. Hoc in capite primum inter ſublimia quæ conſpexit Ioannes, mirabilis & glorioſa diuinæ maieſtatis apparitio declaratur. Oſtenſurus igitur dominus ſuam maieſtatem ſub typis commodiſſimis , primum Ioannis obiicit conſpectui ſedem in cælo poſitam : ſitque ſenſus: in primis quod mihi apparuit, erat in cælo, id eſt, eccleſia militante, ſedes, id eſt regnum. Nam ſedes typus eſt regni. Et erat ſupra ſedem ſedens, id eſt deus Chriſtus regnans in ipſa eccleſia. Horum igitur ſumma eſt, quòd eccleſia eſt regnum, & in ea regnat deus eam cuſtodiens & illuſtrans. Sedentis verò miram deſcribit formam ſequentibus verbis. *Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis & ſardinis.* Aſpectus ſeu viſio, hoc loco non proactu videntis tantum, ſed pro eo qui videbatur, ſedente ſcilicet, vſurpantur, vt ſit ſenſus: is qui videbatur in throno, ſimilis erat iaſpidi & ſardio, id eſt, his ſimilis eſt deus in throno ſedens, tum propter eorum

Thronus & ſedes typꝰ ſunt regni.

preciositatem. admodum enim preciosi sunt hi lapides. Rem etiam non parum preciosam adumbrant. Quid enim deo optimo maximo preciosius? Tum etiam his adæquatur propter eorum soliditatem. Lapides enim illi solidi & duri sunt, quo soliditas, stabilitas & inuariabilitas simul etiam immutabilitas dei figuratur & commendatur. Inquit enim. apud Prophetam Malachiam cap. tertio, Ego sum deus, qui non mutor. Apud eum (vt inquit Beatus Iacobus in sua prima canonica) non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Igitur per ea quæ his lapidibus sunt peculiaria, siggnificatur, deum preciosissimum, firmissimum, & speciosissimum esse, quia speciosissimi sunt secundum diuersos colores, secundum quos congruè deus eis similis dicitur. Iaspis quidem quo melior & preciosior, viridior est, & sic aquei est coloris, Sardius verò ignei. Sedens autem in throno his similis dicitur quo ad calorem, ad insinuandum

Immutabilis deus.

Iaspis viridis.

Sardius.

ſinuandum quòd is qui olim aquarum diluuio mundum iudicauit, tandem ſit iudicaturus per ignem. His etiam ſignificatur lapidibus, quàm fortis & zelotes ſit deus, cum in ſua ſubſtantia nobis minime ſit conſpicuus. Vt autem bene ſperemus de in throno ſedentis miſericordia, quanquam ſit deus zelotes, iudicaturus mundum per ignem: aliam proponit figuram dicens. *Et iris erat in circuitu ſedis.* Iris propitiationis eſt ſignum, dicente ad Noe domino, Ponam arcum meum in nubibus cæli, & recordabor fœderis mei quod pepigi tecum. Significatur igitur per iridem pax & reconciliatio mundi. Aptè quidem Chriſtus, qui eſt pax & reconciliatio noſtra, iridi aſſimilatur. Nam eodem pacto quo producitur iris, & Chriſtus genitus eſt, & in mundum venit. Cum enim imbrifera nubes ſolis radiis fuerit, illuſtrata, tunc producitur & imminet arcus. Sic Chriſto verò iuſtitiæ ſole nubem, id eſt

Iris pacē & recõciliationē ſignificat.

Vnde iris producatur.

humanitatem illustrante, iris, id est arcus apparuit, id est pax, & mundi reconciliatio. Est igitur fœderis inter deum & hominem signum Christus, Gen. 9. Quadrat autem prorsus nomini hæc interpretatio. nam si addatur in fine syllaba literæ loco, ita vt irini dicatur, idem erit quod pax, εἰρήνη enim pax dicitur. Rectè profectò imbrifera dicitur, quia prædicationum eloquiis plena. Exquisite præterea ad humani generis reconciliationem in nouo testamento arcus figuratim apparuisse dicitur, qui veteri in testamento in nubibus à domino positus intelligitur. Arcus siquidem figura erat veteri in testamento, in nouo autem veritas est, quòd scilicet Christus Iesus sit pax, & reconciliatio nostra, *Similis visioni smaragdinæ.* Smaragdus lapis admodum preciosus, maximi, oculisque iucundissimi est viroris, Vide Plinium libro 3. cap. 5. Tanto enim ferunt nonnulli smaragdum virore præditum, vt omnia iuxta se posita virescere faciat. Sic per Christum innouatur

Arcus fœderis signum.

nouatur

nouatur mundus ac reflorescit. Porrò quòd etiam rubei aut sanguinei coloris esse censetur, hoc nostram reconciliationem & pacem in effusione preciosissimi sanguinis Christi sitam fuisse commonstrat. Cum itaque color viridis aquaticus sit, nobis Christi passionis meritum aqua baptismatis accommodari designat. Hinc nostræ reconciliationi vterque color maximè facit, quòd scilicet sit viridis, & rubei coloris. Non abs re igitur iridem dicit quo ad colorem visioni smaragdi persimilem, etsi iris variam ac pene omnigenam induat colorum nonnunquam apparentiam. Ad hæc cum smaragdus lapis sit ingenuus & preciosus, solidus ac firmus, nostram significat pacem solidam esse & firmam, ac non parum propterea preciosam. Quid, quæso, amabilius preciosius ac desiderabilius hac pace diuina? Cuius ineffabilis suauitas & pulchritudo summo smaragdi lapidis virore perpulchrè refertur. Vides idcirco quàm probè horum lapidum tum colores tum preciositates seden-

Smaragdus rubei & viri discoloris.

Pax diuina desiderabilis.

ti arrideant, ac ipsius conditionibus, nostrę etiam pacis ac reconciliationis mysterio.

Pars secunda.

ET *in circuitu sedis sedilia 24. & super thronos 24. seniores sedentes.* Seniorum censentur nomine qui in ecclesia Christi sublimes sunt, aut numero. 24. plures hoc numero designati, videlicet veteris synagogæ patriarchæ & prophetæ, & noui testamenti apostoli, vt Exod. 24. Nume. 11. & in euangelica historia Act. 20. & alias crebro in apostolicis literis. Hi autem senes dicuntur ob Christianæ prudentiæ & pietatis maturitatem, & sensuum venerandam prorsus caniciem. Neque enim phas est hunc locum annosis attribui. Senectus nimirum venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Sap. 4. Sedere autem dicũtur, quo significatur iudiciariæ simul cum Christo potesta-

Qui vere senes dicantur.

tis consortium, iuxta illud Matth. 19. Sedebitis & vos super &c. Et 1. Corinthio. 6. Sancti de hoc mundo iudicabunt. Et sedere propriè alicuius est authoritatis super alios typus, Qua de re per seniores siue presbyteros omnes prælatos ecclesiæ intelligit, qui Christi sedem occupant, eius locum tenentes. Est præterea 24. determinatus numerus indeterminati loco. *Circumamicti stolis albis.* Stolæ vestes sunt quarum candor munditiem & puritatem exprimit: & sic his animi candorem ac innocentiam inesse edocet, vt sedentes omnia æquissime & non secundum humanos affectus iudicent. Exod. 18 maxime interim in regenda ipsa Christi militante ecclesia, sintque piæ & religiosæ conuersationis etiam externæ, aliás vestes atræ & nigræ sunt, proinde etiam immundæ, his igitur innuit verbis prælatos in ecclesia debere integros fide & moribus sedere: & hoc pacto circumamicti erunt stolis albis. *Et in capitibus eorum coronæ aureæ.* Corona victoriæ typum gerit. q. d. Si prælati vsque adeò

Vestes candidæ.

Vestes nigræ.

adeò se probè gerant,& in ecclesia sedeant circũamicti stolis albis, cõuersatione sancti & integri,tãdem & victores erunt.Sancti enim per fidẽ vicerunt regna,ad Hebr.11.& præmium recepturi sunt æternum,quod ob eius insignem preciositatem aurea dicitur corona:quia neque oculus vidit, nec auris audiuit,quæ victoribus his hunc in modum bonis circũamictis operib⁹ præparauit. *Et de throno.* id est sedẽte in throno,eo per apostolos inspirãte,ministerialiter facta sunt sequẽtia. *Procedebant fulgura & voces, & tonitrua.*i.sedentibus ipsis apostolis eorũque successoribus in Christi ecclesia, accepta etiam cęlitus iudiciaria orbis potestate, annunciauerunt verbum Dei, quod variis admodum allusionibus nonnunquam fulgur,vox & tonitruũ dicitur.Fulgur quidẽ,dum reprobat & dãnat.Tonitruũ,dum terret,minatur,& carni edocet contraria. Vox demũ dicitur,quãdo solatur,aut est solatio.Et his modis ꝓcedebãt apostoli Dei verbũ & euangeliũ prædicãtes, aliquãdo cõdẽnãtes,sicut incredulos: aliquando

Sãcti & integri prælati coronandi.

Verbum dei secundũ diuersos effectus varia sortitur nomina.

aliquando comminantes, sicut impiis & peccatoribus: aliquando consolantes, vt pusillanimes, Deo tamen eis verbum & sapientiam elargiente, cui resistere non poterāt aduersarij, quare de throno hæc procedere iure dicuntur. *Et septem lampades ignis ardentes ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei.* Id est septem vidi lampades, quibus septiformis Dei spiritus significatur, hoc est plenitudo & perfectio cœlestium charismatum, quib⁹ regnum Dei, hinc inde adornatur. Esa.11.& 1.Corinth.9. Ardentes insuper dicuntur, quia ad illuminandam ecclesiam & corda fidelium inflammāda conferuntur. Dicuntur tandē ante thronum existere perpetuò, quia his carens ecclesia stare nequit: sed neque Dei thronus illis seclusis intelligi potest. Est igitur Christi ecclesia omnibus charismatib⁹ & spiritus sancti donis exornata. *Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.* Hebraico more congregatio aquarum mare dicitur, eò quòd congregationes aquarum mare appella-

Quibus dei regnū orneiur.

Quare ardentes lāpades dicātur spiritus sancti charismata.

nit deus Gen.1. Et sic mare æneum dictum est in quo sacerdotes sacra operaturi lauabant. 1. Regum. 8. Per mare itaque Christi baptisma intelligitur, prout 1. Corinth. 10. dicitur quòd omnes baptizati sunt in nube & mari: quia sicut Pharao & eius exercit⁹ submersus est in mari rubro: ita & diabolus Christi baptismate submergitur, & eius exercit⁹, id est potestas imminuitur. Erat ideo mare rubrum baptismi Christi figura. Quid porrò sibi vult quòd in primis dicitur in conspectu sedis siue sedentis Dei esse? Id mysterio minimè vacat. Nam qui rigat, nihil est, sed qui incrementũ dat deus. Et ideo cum sit Dei opus, simul etiam quicquid fit virtute operis operati, sequitur, sicuti in aliis sacramentis. Hac ratione in conspectu domini esse dicitur. Vitreũ insuper dicitur per allusionem: quia id quod intra vitrũ est, foris videtur ita. visibili signo id significatur extrinsecus, quod est & fit intrinsecus. Corporalis siquidem ablutio, interioris lotionis est signum. Est enim sacramentum, rei sacræ signum, siue

Perpulchra allegoria.

Sacramentum.

siue visibile signum sub quo inuisibiliter operatur spiritus sanct⁹. Aut quia vitrum perlucidum est, corda fidelium baptismate pellucida effici commonstrat. Simile demum crystallo dicitur, quia sicut crystallus aqua est temporis longa intercapedine in lapidis duritiem congelata, ita tales oportet euadere baptizatos, vt tandē sint fortes ac constantes in spe, fide & charitate: quæ tria in baptismo infundūtur. Hunc itaque in modum per baptisma confirmatur & corroboratur Christianus, hinc crystallo simile dicitur baptisma. Ex præcedentibus itaque habes Christi ecclesiam ornari tum sedentibus ministris, tum vniuersis spiritus sancti donis: inter cætera baptismate Christi, quod regenerationis in Christo est exordium. Huius vero solius meminit sacramenti, baptismatis scilicet, quia aliorū est ianua.

Quare crystallo simile dicatur baptisma.

Pars tertia.



T in medio ſedis & in circuitu ſedis quatuor animalia. Poſtquam de aliis eccleſiæ miniſtris. 24. ſedentibus ſenioribus deſignatis, fuſe diſſeruimus, nunc de quatuor euãgeliſtis præcipuè eſt ſermo habendus, qui inter cæteros ſunt diligenter audiendi, tanquam eccleſiæ columnæ. Hac gratia hæc quatuor animalia Ioanni viſa ſunt eſſe in medio & circuitu ſedis, ſiue throni Dei ſedentis. Hoc eſt, vidit quatuor animalia ſub throno terga ſua habentia, & ſuis humeris quaſi thronum ſuſtinentia. Facies verò eorum à quatuor eius eminebant partibus. Et hoc pacto verum eſt eos in medio & circuitu throni extitiſſe, cũ ſcilicet in medio terga, & in circuitu facies ſuas haberent. Quod verò ad myſterium ſpectat, per hæc exhortantur quatuor euangeliſtarum exemplo omnes euangeliſtę & verbi dei ſynceri prædicatores ad ſuos ſupponendos

Euangeliſtæ colũnæ eccleſiæ.

Prædicatores hu-

nendos humeros ecclesiæ, quod efficiunt, dum fortes in veritatis assertione sunt, & alios etiam ad constantiã impigrè adhortantur. Sunt autem in conspectu throni dei, siue ecclesiæ, & facies apparent quando super ea solicitè aduigilãt, ne luporum pateat insidiis & morsibus, aut impostrices doctrinæ in ea aliquem nanciscantur locum. Quæ igitur quatuor euangelistis quadrare dicuntur, omnibus accõmodari debent verbi Dei ministris. qua de re hanc visionem multi exponunt de omnibus illis per quatuor animalia designatis, quãquam per prius & commodius quatuor euãgelistæ (quia potiores) significẽtur, vt sancti interpretantur doctores tum in Ezechielis caput primum, tum in huius contextus expositione. Intelligamus igitur in primis per hęc quatuor animalia euangelistas quatuor, & demum vniuersos eorum successores, qui eos in præscriptis debent referre conditionibus. *Plena oculis ante & retro.* Id est tum præteritorum tum futurorum euangelistæ quatuor præditi erãt

meros suos ecclesię supponere debẽt.

Quid faciẽ apparere.

ſcientia, aut ſi mauis, veteris & noui teſtamenti: ita vt apparuerit rota in medio rotæ, hoc eſt vetus, in nouo, & nouum in veteri. Sicq́ue veritatem euangelij probant, in concordiam cum veteri adducentes. Itaque ante & retro pleni ſunt oculis, id eſt cognitione & ſcientia vtriuſque teſtamenti. Quos imitari addecet eorum ſucceſſores, quò in ſynceros ac idoneos euadant cõcionatores, quippe qui vetus & nouum calleant teſtamentum, ſintq́ue ante & retro oculis pleni, id eſt, in vtriuſque teſtamenti ſcientia oculatiſsimi. *Et animal primum ſimile leoni, & ſecundum ſimile vitulo & tertium habens faciẽ quaſi hominis, & quartũ ſimile aquilæ volanti.* Animal primum hic dicitur non ſecundum conditionum dignitatem, ſed viſionis ordinem. Ita ſiquidem primum quod vidit Ioannes, videbatur leoni per ſimile. Et ſecundum ſimile &c. Horum omnium ſimilitudo ex æquo omnibus conuenit euangeliſtis, neque potius vnus per vnum animal altero ſignificari videtur.

Paſtores oculatos eſſe decet.

tur. Aſſertionis autem noſtræ cauſſa eſt, quia per has quatuor animalium facies exprimuntur præcipua noſtræ fidei myſteria, per Euangeliſtas declarata. Myſterium nempe incarnationis verbi Dei, per hominis faciem: paſsionis ac mortis, per vitulum, qui in lege immolabatur: reſurrectionis ad vitam immortalem, per leonem, qui victoriæ & fortitudinis typus eſt: aſcenſionis in cælum, per aquilam, quæ altius volat. Et hæc quatuor myſteria à quatuor Euangeliſtis maximè miro ac exquiſito ſunt deſcripta artificio: quæ quilibet eorum ſucceſſor & ſuffectus omnibus Chriſtianis inter cætera prædicare & euangelizare debet. Nec hoc quidem ſolum, ſed illi ex officio etiam incumbit, (vt quæ ſunt veri concionatoris ſtudioſe exequatur) has quatuor facies præ ſe ferre: quatenus ſtudeat hæc quatuor myſteria hominum mentibus imprimenda. Non me latet Auguſtinū per leonē Matthęum, per hominem Marcū, Gregorium verò papam & alios econtra

Quid quatuor animalia ſignificent.

per leonem Marcum,& per hominem Matthæum intelligi voluisse, ac per bouem Lucam,& per aquilam Ioannem, prout diuersimode exorsi sunt suorum euangeliorũ contextum. Tametsi hæc expositio vulgata & sancta sit, videtur tamen prior conueniẽtior, vt scilicet quatuor euangelistis conueniant, cum dicatur Ezec.1. quòd quatuor facies vni erant. Sic vt in quolibet animali sint tria, & vnum in tribus, vt per prius dictũ est vnũquẽque euangelistam has quatuor habere facies, sicque vni quatuor inerũt facies: quas amplecti tenetur sedulus verbũ Dei minister vnà cum conditionibus per hęc quatuor animalia significatis. Amplectetur itaque animositatem, robur, & fortitudinem in fide sustinenda, per leonem adumbratam. Per vitulum immolatitium animal, carnis mortificationem. Per hominem, lenitatem & prudentiam. Et per aquilam ad cælestia penetranda animi viuacitatem. Si quis euangelista his quatuor fuerit exornatus virtutibus, syncerus est, ac quatuor præfatas habet facies.

Quibus debeat ornari moribus vobis dei minister.

Et cum

Et cum quilibet euangelista quatuor illas habeat facies, non est ordo seruãdus. Nec mireris si diuus Ioãnes primũ animal simile leoni dicat, cũ Ezechiel dixerit non leonis sed hominis habere speciem: quia in idem prorsus coincidunt. Neque enim mystica scripturarum eloquia semper ordinem histo ricum seruant, quod si facerent: non iam mystica, sed historica tantum essent. *Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas*. Id est sex alas. Alę typus sunt promptitudinis, & per eas euangelistarum sedulitas ad verbum Dei prędicandũ exprimitur. Sex porrò dicuntur, eò quòd non sit ad verbũ Dei declamandum expeditus & idoneus euangelista, nisi sex leges intelligat in sex ætatibus receptas: legem scilicet naturæ, legem Moysi, legem prophetarum, legem Christi, legem apostolorum, & demum legem ecclesiæ, siue vniuersorum consiliorum. Harum itaque sex legũ cognitione præditus, promptus ac idoneus est ad Dei verbũ seminãdũ, Quod verò Ezechiel asserit se intuitum fuisse vnumquodq;

Sex leges.

animal solum quatuor alas habēs, declarat quatuor primas leges præ aliis maximè esse intelligendas ac obseruandas, nec duas postremas reiiciendas, sed amplectēdas. *Et in circuitu & intus plena sunt oculis*, ac si diceret. Et hi euangelistæ omni ex parte sunt oculati, id est omni cognitione & sciētia intus & in circuitu referti sunt intus siquidem ad seipsos regendos, exterius verò ad proximū disciplina & sciētia qua repleti sunt imbuendū. Per necessaria profectò omni euangelistæ conditio, qua seipsum sanctificet, deinde proximū bene ædificet, inquiente Christo: Vos estis lux mūdi. Sic luceat lux vestra &c. Matth. 5. *Et requiem non habebant nocte ac die.* Frequens assiduitas illorum euangelistarum suorúmque successorum in extollenda ac prædicanda creatoris clementia insinuatur, nedum in prosperis, sed & in aduersis. Hoc enim sonat die ac nocte. Dies siquidē pro prosperitatis, & nox pro aduersitatis tempore quandoque sumitur. Insit igitur omnibus euangelistis hæc præclara cōditio. Quid verò præ-

Scipsum in primis sanctifi-care, subinde proximū ædificare debet vir euāgelicus.

Dies, nox

rò prædicarent, ſequitur, *Dicentia, Sanctus, ſanctus, ſanctus, dominus deus omnipotens*. Summopere ob ſuam eximiam ſanctitatem laudibus eſt efferendus deus, quia ſolus natura ſanctus, per gratiam cæteri. Quaſi igitur dicerent, Sanctus pater, ſanctus filius, ſanctus quoque ſpiritus paracletus, vnus ac idem dominus & deus omnipotens. Ter itaque dictum eſt ſanctus (vt nonnullis placet) ad ſanctiſsimam exprimendam trinitatem: idque ſingulari expreſſerunt numero, dominus deus omnipotens, ſcilicet vt in ipſa trinitate ſummam profiterentur vnitatem. Aliàs dicendum crebrò in ſacris literis (vt dant loquentis fides & affectus) eundem congeminari aut ſæpius repeti ſermonem & vocem, hac demum inculcatione præter ſanctiſsimæ trinitatis myſterium. Hunc ſermonem & cantionem à magno affectu & fide depromptum eſſe demonſtrat. Quia etiã à deo ſunt oĩa, & in eo ſubſiſtũt, ideo maximè laudandus eſt, hinc ſubdit.

Laudibus deus vehendus.

Qui erat, qui est, & qui venturus est. Hæc superius exposita sunt. Ad ampliorem verò Dei laudẽ, quia scilicet noster sit creator, addit honorẽ quem vigintiquatuor seniores cum animalibus quatuor exhibuerunt, verũ decantantes deum, qui omnia crearit, à quo & in quo sunt omnia, vt tandem deducit. *Et cum darent illa animalia gloriam & honorem & benedictionem sedẽti super thronum viuẽti in secula seculorũ.* Id est, Cũ euangelistę in Christi ecclesia deum verum esse omnium creatorem, omnemque gloriam, honorem & benedictionem siue latriam iure deberi, eorum voce exclamatione, ac prędicatione impulsi ac stimulati sunt omnes Christiani, maximè vigintiquatuor seniores, id est primiores Christi ecclesiæ ad deum laudibus cumulandum, ac latria adorandum, supremum ei honorem (vt sequitur) exhibentes, procidebant vigintiquatuor seniores, & adorabant viuentem ĩ secula seculorum. Ante thronum Dei procidere, de se humilia & infima sentire est, & Deo omnia attribuere.

A deo sunt omnia.

Latria.

Procidere ante thronum.

Adorare

Adorare verò viuentem &c. est eum omnium viuentium agnoscere initiũ. Hinc colligitur eum in secula seculorum peruicturum, quia à se ipso vitam habet, quæque alia ab eo, vt superius dictum est. Hic est honos qui soli deo inuisibili & immortali debetur. 1. Timo. 1. quia supremus soli supremo tribuendus. *Et mittebant coronas suas ante thronum.* Id est vltro fatebantur non suis viribus sed Dei gratia & beneficio seipsos dæmonem, peccatum, & infernum vicisse. coronas suas ideo Deo præsentant, quæ victoriæ typus sunt quasi dicerẽt. Nobis haudquaquam est adscribẽda victoria, sed dei gratiæ quæ operatur in nobis: quare maximę sunt ei agendæ gratiæ, vt sequitur, *Dignus es domine deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem.* Considerantes igitur in seipsis gratiam Dei, qua victores effecti sunt, omnem gloriam, honorem & virtutem Deo adiudicant, quia omne datum optimum & donum perfectum desursum est descendens à patre luminum. Quia etiam non modo gratias

Deo dæmonis peccati & inferni victoria ascribẽda.

agere Deo debemus pro donis gratiæ, ſed etiam pro donis naturę, ideo ſequitur. *Et tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Hoc ex loco ſtatuendum ab vniuerſis Deo deberi gloriam, in primis quia ab eo ſunt omnia. Secundò propter eum ſiue eius voluntatem ſunt, id eſt vt ex eis fierent quæcunque voluit: & his ad eius ingentem gloriam & honorem ex eius beneplacito vtamur. Omnes igitur Chriſtiani vnà cum vigintiquatuor ſenioribus, id eſt eccleſiæ prælatis, ex animo dicamus. Ipſi Deo immortali ſit gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

CAPVT QVINTVM.

Summariè obſeruanda.

Primùn liber ac eius apertionis operoſa difficultas deſcribitur.
Secundò cuius ſit reſerare edocetur.
Demum agnus perſcribitur, omniumque creaturarum lepidæ ac ſuaues cantiones.

Prima pars.



T vidi ī dextera ſedentis ſuper thronū, librum ſcriptum intus & foris. Liber proſpect⁹ deſcribitur, nouum planè referēs teſtamentum. Nam veteri in teſtamento myſteria quædā Chriſti deſcripta ſunt, variis tamē typis atque vmbris inuoluta: qua de rē velamen ſuper faciem Moyſi poſitum eſt, adhuc manens ſuper corda Iudęorum, quia illum foris non intus legūt: quandoquidem redemptionem Iſrael temporalem & non ſpirituale in Meſ-

ſitæ aduentu curioſe expectant, quod profecto aliud eſt nihil quàm forinſecus tantũ librum legere: vnde eos occidit litera, ſpiritus vero minimè viuificat, ſed excęcatum eſt cor eorum. Non igitur inſiſtendum eſt literæ, aut huius libri cortici, ſed diligentem lectoré perueſtigare oportet veluti abditum ſub teſta nucleum. Hoc itaque ſchemate Euangelium Chriſti intra vetus teſtamentum occluſum eſſe demonſtrat. Hinc dicit. *Signatum ſigillis ſeptẽ.* Signatũ quoque librũ legimus Eſa.29.& Ezech.2.librum inuolutum, Danie. quoque.12. obſignatam prophetiam. Quibus ſignificari videtur nullo humano ingenio vniuerſitaté poſſe inueſtigari myſteriorum in ſcriptura cõtẽtorũ, niſi vno chriſto clauem Dauid habente, ac ſubinde reſerante. Quare autem potius ſeptem ſigillis quã ſex dicatur ſignat⁹ &c. notũ eſt (prout prius diximus) ſeptenarium numerũ vniuerſitaté deſignare. Quaſi igitur diceret, Multis ideo dicitur ſigillis obſignat⁹, quia difficulter aperitur ſiue intelligitur, ita vt hæc ſeptem

Librũ forinſecus tantum legere.

Liber ſignatus.

huius

huius libri sigilla per difficilis admodum sint clausuræ typus. Hoc enim in scripturis frequēs est, vt ré forté & graué hoc designet numero, sicut Leuit. 26. aliquando per septem septies vel septulum grauem designat punitionem, & Amos. 2. grauia scelera per tria & quatuor, id est septem adumbrantur. Igitur hic liber obsignatus dicitur sigillis septem, i dest, firmiter, vt laboriosissimè adaperiatur & intelligatur, nisi agnus qui clauem habet aperuerit, & intelligentiam dono cōcesserit. Sed quia cuiusslibet sigilli apertio infrà peculiariter deducitur, nonnullis videri posset hanc expositionem sequentibus minimè accommodā esse. Quibus dicendum nihil hæc præpedire. Nam distincta illa ac successiua illorum septem sigillorum apertio ad propriam cuiuslibet sigilli acceptionem non astringit, sed ostendit peculiare aliquid singulis designari apertionibus. Quod verò ad illorum sigillorum rationem attinet, tantum vnico figuratur sigillo quantum septem vniuersis. Verum enimuero septé, fir-

Singulis sigillorū apertionibus quidpiam signatur peculiare.

mam ac solidam obserationem & clausuram significant, varia quoque tēpora, in quibus domin⁹ Iesus Christus aliquid ex libro disclusit, veritatē detegens iuxta tempora & temporū articulos, sicut diuinæ suæ placuit voluntati. Data siquidē est illi omnis potestas in cælo & in terra. Matth. vltimo. inde paruulis & amicis reuelauit, quibus datum est nosse mysteria Christi, & eius patris secreta. Hæc itaque pro priore parte de libro & eius difficultate sufficiant.

Secunda pars.



T vidi angelum fortem prædicantē voce magna: Quis est dignus aperire librū, & soluere septem signacula eius? Angel⁹ hoc loco omnium fidelium ministrorū verbi Dei typus est, qui sunt angeli in ecclesia huius libri veritatē inquirentes, & eum qui eundē queat explicare

explicare librum. Fortis verò ac magna prædicans voce dicitur, vt aperiédi libri operosa difficultas, & affectus non modicus efflagitantis libri reserationé exprimatur, desideriũ videlicet patrũ ea cognoscédi quæ de Christi regno reuelanda erant. Quale verò desideriũ? Quis est dignus aperire librũ, &c. quasi diceret: Quis vsq; adeo dignus est omnia adimplere quæ veteri in testamento de humani generis redemptione prædicta sunt? Siue quisnã genus poterit redimere humanũ modo ac forma in veteri testaméto præscriptis? Et soluere septé signacula ei⁹, id est, prout nonnullis placet, adimplere septem mysteria potiora de redemptore prænuntiata? Incarnationem videlicet, passionem, resurrectionem, ascensioné, spũs sancti missioné, gentiũ vocationé, iudiciũq; vniuersale? Quę singula ab eo fieri debét. *Et nemo poterat neque in cælo neque in terra, neque subtus terrã aperire librum, neque respicere illum.* Prædictæ quæstioni admodũ cõpédiosam subnectit rationé, nullã videlicet purã creaturã potuisse.

Apertio libri operosius labor.

7. potiora mysteria.

in libro contenta complere, hoc est humanum genus redimere de condigno. Neque ea quæ est in cælo, id est angelus. Neque ea quæ super terrã. i. homo mortalis: Neq; ea quæ subitus terrã. i. aliquis patrũ in limbo existentium: imò nec poterat aliqua creatura respicere illum; id est nemo tantæ erat audaciæ, vt sibi libri apertionem arrogaret. *Et ego flebam multum.* Omniũ piorum fidelium typum gerit Ioannes, qui communem generis humani solent deflere calamitatem, maximè verò patrum in limbo existentium, ac maximè huius libri apertioné desiderantium, quæ futura erat eorum redéptio. Horum profectò luctus & fletus ex prophetarum vaticiniis satis liquent. Huius autem fletus assignatur caussa. *Quia nemo dignus inuentus est aperire librum, & videre eum.* Rectè equidem idoneum nullum inuentum esse asserit. Potuisset tamen creatura pura, (si voluisset de⁹ atque acceptum habuisset) genus humanum redimere, sed solum de congruo, non autem de cõdigno. qua de re inter homines nul

Nulla pura creatura redimere potuit genus humanum.

lus

lus ad hoc dignus inuentus est, homines inquam puros, quia deum oportuit esse & hominem, qui genus humanū ex condigno redimeret Sufficiens fletus caussa assignatur, quandoquidem nostra id cōmeruerit culpa, vt pro nobis pateretur deus. E regione autem letitiæ & ingentis gaudij nobis proponitur argumentum (subducta culpę ratione) cum in sequentibus nostræ vtilitatis fructus, ex Dei & hominis passione scaturiens declaretur, sequitur enim. *Et vnus de senioribus dixit mihi, Ne eneris.* Senior iste omnes adumbrat prophetas, qui seniores, id est sapientiores dicuntur. Vox siquidē istius, vox est omnium prophetarum testimonium perhibentium illi qui ad aperiendum librum siue ad redimendum genus humanum venturus erat: & eius aduētus cōsiderato nō modico fructu, & huiusmodi libri, flere vetat. Deflenda sanè Christi passio, si rationem habeas culpæ nostræ, quæ Christum ad tam acerbum & ignominiosum adegit supplicium. Verum enimuero si eiusdem passionis diligenter

Qualem oportuit esse qui humanum genus redimeret.

Deflenda Christi paßio ob scelera nostra.

considerem
us fructum, gaudendum vtique est. Quis autem sit fructus, sequitur, *Ecce vicit leo de tribu Iuda radix Dauid, vt aperiat librum, & soluat septem signacula eius.* Fructus passionis Christi est victoria. 1. Corinth. 15. Gratias Deo qui dedit nobis victoriã per Iesum Christum: vt dicebat Christus: Confidite, ego vici mundum, infernũ, & peccatũ. Hoc fecit quod aduersum nos erat delens chirographum decreti, expolians principatus & potestates triumphans nos in semetipso. Et quia vicit, ideo leo dicitur, quia fortissimus & inuictissimus. Quem verò hanc ob caussam nunc Ioannes leonem vocat, mox agnum conspicit. Dicitur verò de tribu Iuda secundum humanitatẽ, vt leonis typo venturus prædicitur Gen. 49. cũ Iacob enĩ filio suo Iudę benediceret, dicebat Catulus leonis Iuda (sic dictus ob ex eius semine nasciturum Christum) ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, quis suscitabit eum? &c. Ad hæc radix Dauid dicitur, quod secundum diuinitatem intelligi potest, qua ratione

Christi victoria.

Christus leo quare dicitur.

tione Dauid vocat eum dominum suũ, vt arguit Christus ad pharisæos ex Psal. 110. Matth. 22. Et per hoc significatur victorem illum, vt vincat deum esse & hominẽ. Homo, vt est de tribu Iuda, & consequenter, radice Dauid. Deus autem vt est radix Dauid. Hinc secundum diuersas naturas radix Dauid, & de radice Dauid dicitur. Et quia deus & homo, ideo vicit: & quia vicit, vniuersis fidelibus mysteria obsignati libri promeruit aperire, soluẽs septẽ signacula eius. i. adimplens septẽ mysteria prædicta, quæ sunt septẽ potiora Christi mysteria illo in libro de eo prænuntiata. Hac igitur in secunda parte habes cuius sit aperire librũ, & soluere eius septem signacula.

Christ⁹ radix de radice Dauid dicitur.

Tertia pars.

E*T vidi & ecce in medio throni & quatuor animalium & in medio seniorum.* Id est in medio ecclesiæ videtur agnus Christus, qui dixit: Ecce ego vobiscum sum vsque ad cõsummationem seculi, prout prædictum est. Et in

medio quatuor animalium, id est euangelistarũ quia omnium euangelistarum scopus est ipse Christus, qui sunt in ecclesia Christi. Ideo existit in eorum medio, præcipuè cum det verbum euangelizantibus virtute multa. Dicitur præterea in medio seniorum, id est sublimium, qui sunt in ecclesia: quia oĩs eorũ potestas à Christo emanat, cui data est omnis potestas in cælo & in terra. Quid verò in illorũ medio vidit Ioannes? *Agnum stantem tanquam occisum.* Agnus dicitur Christus tum propter vitæ omnigenam innocentiam, tum etiam quòd pro peccatis hostia & victima pacifica sit effectus. Esa. 53. Hiere. 11. 1. Pet. 1. Tãquam occisus dicitur, quia visus est oculis insipientium mori, cum hac via ad plenam transierit immortalitatem. Instar quidem agni occisus, sed leonis (iuxta Iacob prophetiam) more suscitatus est primus ad immortalitatem: quã ob caussam stare dicitur, quia qui prius occisus est, in æternũ viuit. *Habentem cornua septem.* Per cornu potestatem intelligimus, & per septem vniuer-

Scop⁹ euãgelistarũ christus.

Christus agnus dicitur.

vniuersalem ac præeminentem potestatē, quæ à resurrectiōe potissimū fuit illi tradita, cum prius regnaret huius mundi princeps satanas, sed multo eo fortior superuenit Christus, qui ab eo spolia eius ac omnem abstulit potestatem, prout in Christi persona prædixit Psalmista: Omnia cornua peccatorum cōfringam. Hoc itaque est cornu salutis quod erexit deus in Christo saluatore nostro. Quia verò potestatis plenitudo in eo fuit, ideo dicitur septem habere. Præter autem hanc potestatis plenitudinem fuit & scientiæ plenitudo, vt sequitur. *Et oculos septē.* Quandoquidem oculum diximus cognitionem significare, oculi septē sciētiæ plenitudinem in agno, id est Christo designāt. Sitque sensus Christum potestatis & sciētiæ plenitudinem habuisse, vt sequitur. *Qui sunt septem spiritus Dei*, id est septiformis spiritus Christum inhabitans. Et hi septē spiritus, id est donorum spiritus sancti vniuersitas dicuntur. *Missi in omnem terram* quia de plenitudine Christi omnes accepimus, caputque nostrū

Plenitudo potestatis in Christo est.

est influens in membra. *Et venit* agnus scilicet omni potestate ac sciẽtia donisque spiritus sancti refertus. *Et accepit librum de dextera sedentis.* Scilicet vt aperiret ad patris voluntatẽ, voluit & ꝓposuit ab incarnatione redimere genus humanum, sicque aperire librum siue vetus testamentũ, adimplens ipsa rei veritate, quod solum in figura prædictũ erat. Accepisse demũ dicitur ex tẽpore: quia volũtate humana proposuit ista adimplere, in qua volũtate sanctificati sumus, vt ample ad Heb. 10. dicitur accipere idcirco idẽ quod velle adimplere sonat, ea scilicet quę prædicta sunt in libro. i. veteri testamento, atque iisdem adimpletis palam facere rerum in eo figuratarũ veritatem. *Et cum aperuisset librum, quatuor animalia & vigintiquatuor seniores ceciderunt coram agno.* id est, cum Christus redemit genus humanũ, & hominibus detexit patris arcana aperiens librum septem sigillis obsignatum, tũc tota Christi ecclesia quatuor animalibus & vigintiquatuor senioribus de-

Quid sit librum aperire.

signata

signata gratias egit deo & agno pro huiusmodi redemptione, ac libri apertione. Idque est cadere coram Deo, gratias videlicet agere, & adorare profitendo eius maiestatem signo etiam externo. Cultus enim externus, veræ humilitatis signum est, perfectique animi cultus. Totius verò ecclesiæ gratiarum actio varias ob caussas commendatur, quæ sequuntur omnibus descriptæ articulis. *Habentes singuli citharas.* Cithara typus est spiritualis melodiæ, qua animus plus oblectatur quàm quouis alio musico instrumento. Habent itaque citharas Deo gratias agẽtes, id est summè delectantur, & sic sine intermissione semper gratias agunt. Cum spirituali harmonia quæ Deo est acceptissima, habent insuper præter citharas siue harmoniam quam habent singuli qui veri sunt in ecclesia fideles, *Phialas aureas plenas odoramentorum: quæ sunt orationes sanctorum.* Cõiungitur harmoniç oratio, & ecõtra: quia neutra sine altera esse potest. Qui igitur habent citharas, etiam

Quidante deum cadere.

Habere citharam.

habent phialas aureas, id est vasa orationis, quæ sunt corda fidelium charitate succensa ac inflammata: quorũ orationes odoramenta dicuntur, eò quòd Deo sint grata, & iustis odorantia. Hæ porrò phialæ aureæ (quæ sũt corda fidelium) odoramentis refertæ dicuntur, siue orationibus: quia sanctorum corda semper orant ad dominum, dum nedum sibi, sed & aliis semper exoptant misericordiam. *Et cantant canticum nouum.* Id est omnes veri fideles cantant. Cantare autem dicuntur, qui fauorem, & Christi beneficentiam profitentur & agnoscunt. Cãtio autem horum noua dicitur, eò quod de iis minime sit quæ ad veterẽ pertinent hominem, sed ad nouum, id est ad Christum, qui noua fecit omnia. Item nouum dicitur, quia veritatem à seculis inauditam, imò mundo incredibilem toti orbi testificati sunt, & quammaximè decantatam ac vulgarem effecerunt. In vno nempe crucifixo Christo esse remissionem peccatorum, omnem iustitiam, adeoque salutem æternam omnibus credenti-

Corda fidelium phialæ aureæ dictæ.

Quid sit nouum cãtare canticum.

bus

bus conferendam. Vnde & euangelium nouum canticum censendum: quod etiam in sequenti comprehenditur cantione, quæ huiusmodi est.

Euangelium nouum canticum.

Ecclesiæ militantis canticum.

D*Ignus es domine accipere librum & aperire signacula eius.* Hæc superius exposita sunt. Sequitur autē caussa qua re dign⁹ est agn⁹ aperire librū imò quomodo re ipsa adaperuit. *Qui occisus es, & redemisti nos deo in sanguine tuo ex omni tribu, lingua, populo, & natione.* Quasi dicerent, Tu domine morte tua promeruisti dignúsque effectus es, vt librū aperires, & eius solueres signacula. Nam moriendo pro nobis, & nos redimēdo in sanguine tuo, quæ prius subobscurè dicta erant à prophetis in illo libro contenta & figurata, manifēstata sunt. Inter cætera verò maximè liquent quæ de gentium vocatione prænuntiata sunt. Quomodo? In sanguine tuo, id est merito tuæ passionis vocandæ erant gentes ex omni tribu, populo, lingua, & natio-

Manifestauit christus quæ in prophetis latitabant.

ne. Horum itaque compendium decla rat Christum moriendo & redimendo genus humanum vnà promeruisse apertionem libri, quem & aperuit, eiusque soluit signacula. Sequuntur huius apertionis commoda. *Et fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes.* Hæc primo in capite explanata sunt. *Et regnabimus super terram.* Christo scilicet regnante, qui regnare dicitur ad libri apertionem, quando receptũ est verbum euangelij, & populus euãgelio paruit. Regnare porrò dicuntur Christiani, qui Christo attribuẽtes regnum, & ob id quòd regnãt, gratias agunt. Est enim hæc vox gratias agentium, eorũ scilicet qui in ecclesia militante existunt. Sequitur autẽ gratiarum actio & canticum triumphãtis ecclesiæ.

Regnant Christiani.

Can ti-

Canticum ecclesiæ triumphantis.

ET vidi & audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni & animalium & seniorum. Rectè profectò angeli in circuitu throni, animalium & seniorum esse dicuntur, cũ sint omnes administratorij spiritus, ad eos missi qui hæreditatem capient salutis. Vbi quæso esse debent nisi in circuitu populi Dei? Quibus mandauit de populo suo, vt custodiant eum in omnib' viis suis. Si enim dominus in circuitu populi sui, & angeli eius. *Et erat numerus eorum milia milium.* nõ quòd multo plures non sint, sed definito numero indefiniti loco vsus est. Sic Danie. 7. Milia milium ministrabant ei, & decies centena milia assistebant ei. *Dicentium voce magna.* Quãquã angelis nõ insit vox corporea, sic tamen Ioãni visum fuit, eò quòd vox magna ingentis affectus sit typus, ac summæ charitatis, vt tandem designaretur quãta sit erga nos angelorũ dilectio, quantumque super nostra redemptione gaudiũ, & libri ac eius signaculorũ aptione. *Dignus est agnus qui occisus est.* Id est quia occisus est instar agni im-

Angeli in circuitu populi dei.

Gaudent angeli super hominum redemptione.

maculati. Hic obseruandum angelos non pari cantione Christum cùm hominibus decantare. Nam non dicunt (vt homines) quia redemisti nos, aut occisus es pro nobis, eò quod Christ⁹ propriè non redemit angelos, vt multi asserere videntur. Sed simpliciter dicunt, quia occisus est, pro hominibus scilicet erga quos summā suā cōmēdauit charitatem. Ideo iure his sequentibus eximiis est cumulādus encomiis. *Accipere virtutem.* Id est vt dicatur & credatur Dei virtus. *Diuinitatem*, deus verus. *Sapientiam.* id est Dei æterna sapiētia. *Fortitudinem*, id est dei fortitudo & omnipotentia. *Honorem*, id est dign⁹ est vt ei tribuatur honor qui supremus est, solique deo debitus. *Gloriam*, similiter & eadē gloria. *Et benedictionem.* i. eadē laus & gratiarū actio. Canticum itaque vtriusque ecclesiæ.

Propriè Christus angelos non redemit.

Sequitur canticum cuiuslibet creaturæ irrationalis.

ET in oēm creaturā quæ ī cœlo est, & super terrā & sub terra & q̄ sūt in mari & quæ in eo, oēs audiui dicētes, sedēti ī throno &c.

no & agno, benedictio & honor & gloria & potestas in secula seculorum. Hoc ex loco patet non modò sanctos ac pios homines, ac cœlestia illa diuináque numina Christum fateri regẽ, ac proinde illius regno omnia fausta ac secunda precari, verum cunctæ etiam irrationales & mutę quæq; creaturę ipsum suo pro modulo decãtant, quãdoquidẽ iuxta leges sibi præscriptas mouentur & operantur, dum ad illius imperium & nutum præstò sunt, dum etiam ad illius nominis inuocationẽ piis suppeditant, demum dum aduersus impios pro eius, gloria decertant. Sapiẽ. 5. Reprobi autem non recẽsentur in eorum numerũ, qui deo & agno benedicunt. Nam ei semper maledicunt, sinistreq; precantur. in cordibus suis, odiumque eorum ascendit semper. In hac autem gratiarũ actione non agnoscũt Christum tanquam redemptorem, sed tãtùm deum & creatorem. *Et quatuor animalia dicebant Amen.* Id est, Fiat verum, ita sit. Astipulantur & approbant quatuor animalia, siue omnes euangelistæ, & vigintiquatuor seniores,

Decãtãt Christum & irrationales creaturæ.

Deo reprobi maledicunt.

id est ecclesiæ primates,(qui totam referũt ecclesiam) benedictionem ab omnibus creaturis factam,qua deo & agno prospera quæque precati sunt. Et ad horum maiorem confirmationem, *Vigintiquatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in secula seculorum.* Ex his omnibus perlucidè videmus,omnium rerum ordinem, speciē & obedientiam nos eò prouocare, vt simul cũ vigintiquatuor senioribus procidamus ante deum,eumq; timeamus,adoremus, ác super omnia amemus. Alioqui veri ecclesiæ filij minimè sumus, quos vigintiquatuor referunt seniores.

Amãd⁹ timendus ac adorãdus deus.

Finis 5.capitis.

CAPVT VI.

Summariè obseruanda.

Primò singulorum sigillorum per agnum apertio explanatur.

Secundò status ecclesiæ quatuor per tempora describitur.

Demum electorum diem iudicij expectantiũ eiusdémque diei descriptio.

Pars prima.

Primi sigilli apertio.



T vidi cum aperuisset agnus vnum de sigillis. Postquam compēdiosè dixerat Ioanes agnum accepisse librū, omniūque censura dignū cui illius aperiret signacula, nunc ordine prosequitur quomodo vnū itē & alterū sensim agnus aperuit sigilla septē, quorū numerus varia indicat tēpora septenario numero, quæ totā tēporis intercapedinē à Christo passo ad mundi finē vsq; cōplectuntur, in quibus varia & multiplicia extiterunt, ac futura sunt mysteria, à Christo solis electis explanata, ita vt sub cuiuslibet sigilli apertione varij ac diuersi sit mysterij declaratio. Aperuit igitur agnus vnū de sigillis. i. primū. frequens nimirū est Hebræis vt vnū ꝓ primo vsurpēt. Primū verò dicitur, quia in eo reuelat Christ° quæ primo futura erāt tēpore. i. post eius ascēsionē, apostolorum. s. tempore. Hinc sequitur. *Et audiui vnū de quatuor animalibus.* i. primū, leonē. s. vt fortitu-

Sēsim 7. sigilla à Christo aperta.

Vnū pro primo vsurpatur.

dinem ac eximiam euangelistarum ostendat constantiam, atque apostolorũ Christi, qui in ecclesiæ exordio fortes fuerunt in bello, vt sequitur. *Dicens tanquam voce tonitrui.* Vox tonitrui, vehementissimæ atque fortissimæ vocis typus est, qualem se audisse commemorat Ioannes, ad insinuandam apostolorum vocem eorundem prædicationis tempore ac nascentis ecclesiæ fortissimam ac validissimam extitisse, cui non poterant resistere (quantumlibet potentes) aduersarij. *Veni & vide.* Cui hoc dicit? quem alloquitur? non dubium quin Ioãnem, qui typum hæc mysteria non intelligentium gerebat, quorum singulis dicitur, Veni & vide. Hortatur primum veniẽdum per simplicem scripturarum fidem, subinde huiusmodi scrutanda fore mysteria, quæ intra literam occlusa latent. Quare quilibet incredulus ac à Christo alienus horũ est expers & inscius, sicut dicit Esa. Nisi credideritis, nõ intelligetis. *Et vidi* visione imaginaria a præcedentibus aliena. Sed quid vidit? Sequitur: *Et ecce equus albus: & qui*

Euãgelistæ cõstantes.

Scrutãda accurate hec mysteria.

qui sedebat super eum, habebat arcum: & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret. Ad huius & sequentium visionum perfacilem intelligentiã generatim notandũ, equum typum esse alicuius congregationis siue bonæ siue malæ, secundum eius conditiones. Et hic primo sumitur pro congregatione apostolorum, & omnium verbi dei ministrorum, qui à die pentecostes ad euangelium Christi prædicandũ emissi sunt ad tempus aliud vsque, per secundi sigilli apertionem designati. Cõparatur autem & adæquatur huiusmodi congregatio equo (siue bona aut mala) propter eius cursus celeritatẽ: quia & hi veloces sunt ad eorum opus siue bonum aut prauum exequendum, vt ĩfrà de quolibet dicetur. Preterea quẽadmodũ cuilibet equo est dux aliquis aut caput quod sufferre ac gestare debeat, ita vnaquæque congregatio primatem ac caput habet, bonum scilicet aut prauum, quem vehat. Hæc siquidẽ prior cõgregatio (quæ apostolorũ est) adæquatur equo, non simpliciter tamen, sed albo, propter eius syncerita-

Equus quid significet.

Apostoli equo albo adumbrati. tem in dei verbo prædicando, quos spiritus sanctus equos albos vocat Zacha. 10. Posuit, inquit, eos quasi equum gloriæ suæ in bello. Albi igitur dicuntur, quia puri, iusti & mundi: Christũque gestare dicuntur, quia eum profitentur, sicut Paulus dicitur portasse nomen Christi corã gentibus tribubus & filiis Israel. Idq; velociter, quia exigui tẽporis spatio in omnem terram exiuit sonus eorũm. Figuratur autem Christus per eum qui sedebat super equum album, quia ipse regebat corda & mẽtes apostolorũ, qui primi sigilli apertionis tempore prædicabant. Libris etenim aut studio aliquo priusquam prædicarent, illis non erat opus, sicut eis prædixerat: Cũ fueritis ante reges & presides, nolite cogitare quomodo aut qd loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Et iterum, Dabo vobis os & sapiẽtiã cui resistere nõ poterunt aduersarij vestri. Itaq; eos quasi quodã freno regebat, cohibebat, ac pro nutu quouis circũagebat, ita vt quandoque eis prohibuerit spiritus Christi ne alicubi prædicarent, Act. 16. & hoc

Portarũt Christum apostoli.

Rexit apostolos Christus vt sessor equum.

hoc pacto illis insidere dicebatur. Insuper & arcum habebat in manu sua. Arcus typus est intellectus apostolorum, quem habebat Christus in manu sua, ita vt daret eis eorum intelligentiam quæ loci & temporis habita ratione dicenda erant, aut omnino reticenda. Arcus autem iaculis carens, inutilis est. Iacula autē sunt verbum dei, quo apostoli infidelium corda feriebant: de quibus iaculis Psal. 44. Sagittæ tuæ acutæ. Et Zacha. 9. Exibit vt fulgur iaculum eius. & Psal. 64. Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum, infidelium scilicet & philosophorum, quorum infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum, quia sapientia huius mundi reputata est stultitia apud dominum. Gestant igitur ac vehunt apostoli Christum, quia eum vbique profitentur: Christus verò eorum insidet cordibus secundum affectum & zelum. Secundum autem eorum intellectum arcum tenere dicitur, vt veritatis sagittas ardentius ac efficacius emitterent, quas nisi teneret, ac cælesti

Iacula & sagittæ verbū dei sunt.

ſuo ſpiritu dirigeret, nihil prorſus effi-
cerent: quibus dicit: Dabo vobis os &
ſapientiam. Quod eſt iaculum, verbum
dei ſcilicet. *Et data eſt ei corona.* Co-
Corona. rona ſignum eſt victoriæ: & quia Chri
ſto attribuitur victoria, ideo eidem da
tur corona, quæ obtenti ac pacati inſi-
gne eſt. Eius autem victoria ſubiungi-
tur: *Et exiuit vincens vt vinceret.* Chri
ſtus vincens dicitur, quia ſemper vin-
cens, victoria nunquam non potitus
eſt. Nam licet impij & carnales ſibi
falſò perſuaderent ſe apoſtolos (cum
Chriſtus & vicit & ſemp vincet. interficiebãtur) aut ipſum Chriſtũ vin-
cere: verè tamen vincebat Chriſtus, &
ſemper vincet, etiam ſi omnes verbi
dei miniſtri perimerentur, omninoque
extinguerentur. Carnalis autem ho-
mo qua ratione id fiat, minime perſpi-
cit. Imò multo eſt excellentior victo-
ria, vbi vinci putatur. Eſt igitur Chri-
ſtus vincens: & ad hec exiuit, vt per-
amplius vinceret. Exiſſe dicitur in mũ-
Quando exiſſe dicitur Chriſtus. dum, quando apoſtolos in vniuerſum
emiſit orbem. Denique hæc primi ſi-
gilli apertio tempus ſignificat quo exi-
erunt apoſtoli in vniuerſum orbem à
Chriſto

Christo delegati, siue apostolicæ prædicationis tempus. Peracto itaque apostolorum tempore aliud subsequutum est tempus, tyrãnorum scilicet, de quo fuse in hac sequente secundi sigilli apertione. *Et cum aperuisset sigillum secundum.* Cum scilicet apostolorũ prędicatione multi ex gentibus essent cõuersi, qui intrepidè Christum confitebantur. *Audiui secundum animal.* Vitulum videlicet, qui typus est mortificationis & sacrificij: quã audisse Ioannes dicitur in hac secundi sigilli apertione, & eo in tempore, simul atque apostolorum tempus pertransierat, eò quòd in dies quàmplurimi Christi nominis professores pro eodem occiderentur, & sacrificiorum instar offerrentur, (vnde iure optimo dicere possent: Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis) rectè quidẽ secũdum animal audisse dicitur dicens, *Veni & vide.* Quæ tibi sum ostensurus. *Tunc exiuit equus ruffus.* Equus, vt prædictum est pro congregatione aliqua quæ intrepidè ac celeriter aliquid exequitur, vsurpatur. Hoc

Tempus tyrannorum.

verò loco sic pro omnium tyrãnorum congregatione sumitur, qui passim san ctis Christi confessoribus morte molie bantur. Dicitur equus ruffus, id est sanguineus, quia toti madebant Christi martyrum sanguine. Idque hominum genus viri sanguinum non abs re dicuntur. Rectè igitur hæc congregatio (quæ fuit à Nerone ad Constantinum vsque & Iulianum apostatam) omnium tyrannorum & imperatorum, designatur per equum, propter eius ferocitatem & velocitatẽ ad Christi occidẽdos martyres. Idque appositissimè per equum ruffum, siue rubeũ id est sanguinolentum, propter incredibilem sanguinis effusionem, quæ toto illo fuit tempore, apertione secundi sigilli hic adumbrata. Quis tandem sessor? sequitur: *Et qui sedebat super eum, datum est ei vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant: & datus est ei gladius magnus.* Sicut apostolis per album equũ designatis insidet Christus sessore adumbratus, ita istis tyrannis ac occisoribus per equum ruffum designatis, insidet satan rex superbiæ filiorum

Tyranni viri sanguinum dicti.

Equus ruffus quid significat.

Tyrãnis insidet satan.

filiorum Iob. 41. Verùm longè alter quàm suis Christus insideat apostolis. Nam satan vt eos impellat quocunque voluerit, insidet istis, & id ad dei verbum prorsus extinguendum ac supprimendum, eius occidens ministros. Christus autem apostolorum eximius sessor ac perdulcis, eos quò volebat producebat ad eius verbum disseminandum. Est itaque horum satan aduersarius sessor: cui à deo datu est, id est permissum, vt pacem de terra tolleret, non quidem eam pacem cælestem quæ exuperat omnem sensum. Philip. 4. quam tollere, est multos per tyrannos premere, affligere, occidere. Item datum est ei vt qui sunt super terram, inuicem se interficiant; id est ei concessum est tentationibus alios huc adigere, & impellere, vt se interficiant. Ad ampliorem autem huius diuinitus sibi collatæ potestatis declaratioñe, dicitur ꝙ gladius magnus datus est ei à deo ꝑmittẽte, Sic permisit Iob ab eo affligi. Hinc colligim⁹ (ad nostrã maximã cõsolatioñe) nihil oĩno satan aduersus pios posse, nisi quatenus à deo illi permittitur.

Quid pace tollere.

Nihil aduers⁹ pios nisi diuino permissu potest satan.

Ea autem adepta facultate arbitrabatur satan mox victorem fore. Hinc equum illum rufum stimulabat, hinc inde affligens, torquens, & variis cruciatibus Christi confessores occidens. Sed exiuit Christus vincens vt vinceret, ita vt tyrannos vicerit, licet vincere viderentur. Expleto demum tyrannorum tempore, quorum figura & typus erat equus rufus, incidit hæreticorum tempus, quorum schema est equus niger: de quibus hoc in sequente tertij sigilli apertione dicendum. *Et cum aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal dicens, Veni, & vide.* Quia eo in tempore fuit non modica Christianorum persecutio ab hæreticis, qui eos fallebant, atque eis imponebant, quos animales homines nouerant, non percipientes ea quæ dei sunt. Ideo tertium animal auditum est, humanus inquam faciem tanquam habens. Vel quia tertiū animal in ordine, hac quidem gratia audiri dicitur in tertij sigilli apertione. *Et vidi, & ecce equus niger.* Quemadmodum enim hæreticorum cōgregatio equo albo opponitur, id est

Animales homines fallūt hæretici.

Hæreticorū tēpus.

id eſt apoſtolorum congregationi: ſic hæreticorum prædicatio, apoſtolorum contrariatur prædicationi. Si itaque apoſtolorum congregatio, & eorum qui ſyncerè verbum dei declamant, equo albo adumbrātur: è regione hæreticorum cōgregatio nigro equo ſignificabitur, quæ paucis à tempore martyrum diebus extitit, quibus pro veritatis indefeſſa tuitione fortiter agentibus, magnopere excreuerat Chriſti eccleſia, & in pace degebat, tyrannorum & principum paululum ſedata ſę-uitia. Fieri enim haud potuit eam diu abſque cōtradictione quieſcere. Poſtquam igitur tyrannorum deſiit ſæuiſſima perſecutio, ſectæ & hæreſes ſubortæ ſunt non paucæ, quæ vſque adeò latè vltro citroq; ſerpſerunt, vt orbem penè vniuerſum inficerent, ſicut hiſtorias perſcrutanti peruium eſt. Congregatio igitur eorum quos excitauit ſatan ad eiuſmodi ſpargendas hæreſes, equo nigro exprimitur. Nigredo enim typus eſt immunditiæ, albedo vero ſiue candor puritatis & innocentiæ. *Et qui ſedebat ſuper eum, habebat ſtate-*

In continua pace degere nō poteſt eccleſia.

Equus niger quid ſignificet.

ram in manu sua. Statera in scriptura iudicium significat. Prouerb. 19. Pondus & statera iudicia domini sunt. Sed vna est iusta, Iob 31. Appendat me in statera iusta. Altera verò dolosa, qualem habet satan in manu sua. Equus siquidem ille niger & immũdus satanã vehit sua cum fraudulenta statera; id est peruerso aut præpostero iudicio, quale est iudicium omnium impostorum spirituum. Hinc equus hac sua sarcina onustus cohors est filiorum mendacii, veritatem expugnantium: sessor verò diabolus, suis technis ac imposturis vndique instructus. *Et audiui vocem de medio quatuor animalium.* Quandoquidem quatuor animalia omnes euangelistas ministrosque verbi dei referant, hæc vox omnium est qui syncerè ac purè verbum dei prædicant, & ex animo hos refellunt hæreticos in finem seculi vsque. Quid tandem deprompsit hæc vox? *Bilibris tritici denario vno, & tres bilibres hordei denario vno.* Quò possimus illi sedenti resistere, stateramque dolosam habẽti, cohorti quoque impostorum, datũ est

Statera iudicium significat.

nobis

nobis vetus & nouum testamentum. Hæc enim per prædicta figurantur. Bilibris tritici mensuram significat qua vti debemus nouum interpretando testamentum, tritico adumbratum, quia pulchrius & suauius granum. Tres autem bilibres hordei mensuram significant qua vtendum est in veteris testamenti explanatione, quod quidem hordeo est figuratum, eò quòd quemadmodum sub palea latitat & continetur granum, sic & sub figura figuratum. Mensura autem siue pondus quo explicandum est nouum testamentum, minus est eo quo exponendum est vetus, quia lex noua leue admodum est pondus, & iugum suaue: vetus autem lõgè profectò diuersum, nam onus est, quod neque nos neq; patres nostri portare potuimus. Vtraq; verò mẽsura siue põdus tum tritici tum hordei venit denario. i. vno vnico pretio, quia vtriusq; legis finis & scopus Christ⁹, vtriusq; etiã eadem scientia. Concludunt idcirco hæc, diuini verbi ministros, contra prædictis impostore ac hæreticos non parum

Vet⁹ & nouũ nobis datum testamentum.

Nouum testamentum quare tritico adumbratum.

Quare vetus testamentum hordeo significatum.

parum vehementer acclamantes, vtro-
Vet⁹ & nouum testamentū prædicatorib⁹ sufficiunt. que testaméto contentos esse debere, modo pondere & mensura prædictis incedant. Aliud præterea obseruandū in dei verbo prædicando, quod sequitur: *Vinum & oleum ne læseris.* Vinū & oleum dicitur verbum dei vulnerato per Samaritanum accōmodatum & appositum. Luc. 10. Vinum dicitur, quia
Vinum. lætificat cor hominis. Et oleum, quia
Oleum. lenit & dulcescere facit in aduersis, & in omnibus infirmitatibus leniter consolatur. Alloquens ideo ministrum verbi dei dicit. Vinum & oleum ne læseris, id est ne dei verbum peruertas, miscens falsa veris adulterino ac corrupto sensu in interpretanda scriptura, sed sanum integrum & maturum de vtroque testamento sit tibi iudicium. Hunc in modum fidum ac syncerum verbi dei ministrum te præstes, neque verbi dei vim aliquando imminuas, prophana & humanitus adinuēta producens, illius more qui miscet aquam vino. *Et cum aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis.* Acuti &
Aquilæ proprietas. lyncei est aspectus tendēs ad prædam

aquila

aquila, quo significatur verbi dei ministros esse debere acuti ac perlucidi aspectus, cõtra hypocritas qui hoc quarto deteguntur sigillo Comminutis etenim (saltem quo ad publicam assertionem) hæreticorum prauis dogmatibus superuenerunt alii persecutores, videlicet hypocritæ, qui ad finem seculi vsque perdurabunt, & hi figura sequenti adumbrantur. *Et vidi & ecce equus pallidus.* Typus est omnium hypocritarum congregationis ac factionis. Pallor siquidem externam quandam & ementitam sanctitatis speciem signat. Pallent quidem qui non parum se ieiuniis macerant. Qui igitur tales videri & haberi volunt, suas exterminantes facies, non iniuria equo figurantur pallido. *Et qui sedebat super eum, nomen illi mors.* Quia eos hypocritas ad peccandum impellit is sessor. Stipendia verò peccati, mors, ad Roma. 6. ideo mors dicitur, eandemque subnectit rationem, *Et infernus sequebatur eum.* synagoga scilicet vniuersorum hypocritarum ac antichristorum: quiquidẽ infernus pro æterna

Hypocritarum tẽpus.

Pallor.

Mors hypocritarũ dux.

pœna & gehenna vſurpatur, quę mors alio ſiquidem nomine appellatur. Seſſor ideo mors dicitur, cum huiuſmodi ad infernum pertrahat. Magnum profectò ac expaueſcendum iudicium hypocriſeos, perfidiæ quoq; Antichriſtianæ, potiſſimũ cum eos nil niſi infernus perditioq́; ſempiterna maneat. *Et data eſt ei poteſtas ſuper quatuor partes terræ.* i. diuino permiſſu illi hypocritarum ſynagogæ ſiuę eius ſeſſori ſatanæ collata eſt poteſtas ſup vniuerſum orbẽ. Sũt enim tãtũ quatuor terræ partes, Oriẽs ſ. Auſter, Occidẽs, Aquilo: hiſq; totus mũdus deſignatur. Qualis verò illi eſt cõceſſa poteſtas? ſequitur: *Interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ.* i. vt multos interficerẽt mortis vario genere, quod gladius fames, mors ſeu peſtis ac beſtię terræ ad ſignificãt. hæc porrò cõmodius explicanda videntur de ſpirituali interfectiõe quã corporea, prout equi pallidi typus iudicare videt, quæ hac hypocritarũ tẽpeſtate potius cenſendũ eſt homines ſpiritualiter interfici quàm corporaliter, ſcilicet perfidiæ ac ſimulationis veneno. Vnde gladius quieſcun-

Quatuor terræ partes.

Occidunt ſpiritualiter hypocrytæ.

Gladius.

mendax est doctrina, cui dum parent & acquiescũt impij, eorum corda quasi gladio feriuntur & interficiuntur. Verbi quidem typus est gladius, aliquando bonam, aliquando malam desumptus in partem, prout locorum & circunstantiarum ratio exigit. Fames vero defectus ac penuria est sermonum vitæ, quibus subductis nil quàm mors superest. Sicut enim viuimus verbo dei, ita eregione moriuntur alij illius fame ac penuria. Mors autem siue pestis peruersum est dogma: quod cũ penetrat, dicitur gladius. Qũ autem intoxicat & inficit, pestis sortitur nomen. Hinc qui ipsum docent peruersum dogma, in cathedra pestilentiæ sedere dicuntur, Psal. 1. Bestiæ autem terræ, carnales homines dicuntur voluptatibus addicti. Impij quidẽ bestiæ sunt, Psalm. 73. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. Comparantur præterea iumentis insipientibus, quibus simillimi effecti sunt, bonum æternũ missum facientes, & trãsitorio adhærentes. Væ huiusmodi bestiis. Animales enim sunt suis volupta-

Fames quid.

Pestis.

Bestiæ terræ quinam dicãtur.

tibus inseruientia, quæ vt suo consulant commodo, ventremque expleant, rapiūt, mactant, fallunt, perdūt, eosque potissimum qui carnalia sapiūt, eisque addicti sunt.

Secunda pars.

Sigillum quintum.

Et cum aperuisset sigillum quintum. Id est temporis procedente intercapedine, cum magis ac magis diuina mysteria alucescerent, maximè verò prędictis quatuor peractis tépori bus, siue ab illius tēporis exordio quo martyres pro Christo trucidabantur, *Vidi subtus altare animas interfectorū propter verbum dei.* Altare, vt prædictum est, Christus Iesus est, super quem omnia deo patri offerim⁹. Et sub illo sanctorum animæ esse dicuntur, quia eius innixi merito promerebantur, & demū saluabātur. Neq; enim quia dicuntur subtus altare esse, colligendum est eos adhuc quam sperant gloriam expectare, & non esse adeptos, quòd etiā

Status p Christo interfectorum.

Sub Christo sunt animæ sāctorum.

non

non sint glorificati, neque futuri sint ante iudicii extremi diem: sed hanc ob caussam sub Christo esse dicũtur, quia mẽbrorũ instar illi vniũtur, & sub eo tã quã subaltari dicuntur, quia quasi victimę deo super ipsum altare, qđ est Christus, ĩmolati sunt. Nã hic de iis qui ꝓpter verbum dei interfecti sunt à tyrannis & prædictis Antichristis, sermo habetur: Quorum animas, & iustorum aliorum defunctorum, nimis impium est dicere nondum eas esse cum Christo; sed iudicii diem expectare: quandoquidem si ita esset, haudquaquam exoptasset Paulus dissolui, & cum Christo esse, sed potius in carne diutius manere propter maius subsequuturum meritum. Sed quia dissolutionem sequitur esse cum Christo non modò per gratiam, sed & per gloriam: ideo vtrunque crebro affectu id peroptabat. Minimè profectò horum impostorum insulę opinioni sequentia suffragantur. *Et clamabãt voce magna dicentes, Vsquequò domine qui es sanctus & verax, non iudicas ac vindicas sanguinẽ nostrum de his qui habitant in terra? Hæc*

Christus altare dicitur.

vox est martyrum per homicidas occisorum: qui quidem equo ruffo & pallido superius figurati sunt. Quasi itaque dicerent, Domine qui sanctus es, ac verax summe deus, exosam habens ac impietatē, quia sanctus, atque mendacium, quia verax: vsquequo nō iudicas, id est animaduertis, in eos tyrannos prædictos, & vindicas sanguinem nostrum, quē ob tui nominis confessionem te spreto effuderunt? Sed percontaberis, quid sic precantur? Sitiuntne aut expetunt vindictam sancti? Vindictam quippe propriam minime, sed dei & Christi etiam in ipsis contemptus, quia eos ob Christi confessionem occidētes, potius Christum in ipsis quàm ipsósmet occiderunt. Sic nominis dei & Christi contemptus in ipsis confitentibus, vindictam expostulant: qua præstita exultant ac lætātur, sicut scriptum est, Lætabitur iustus cū viderit vindictam, &c. Qualem porrò efflagitant vindictam? Vt confundantur qui eos persequuti sunt, & erubescant à viis suis pessimis, & tandem auertātur. Alioqui si ad cor haudquaquam

Martyrū oratio.

Qualem exoptent sancti vidictam.

quam ſint reuerſuri, quamprimum & quam citiſſime corruāt deſperatione, deique veris locum relinquant cultoribus. Ad hūc enim modum ſancti non rarò deum orant. Hinc Hiere. Confundantur qui me perſequuntur, & nō confundar ego: paueant illi, & non paueam ego, &c. Omnis itaque huiuſmodi oratio etſi vindictam exoptet, tendit tamē ad nominis dei maximam exaltationem, iis omnibus contritis qui nomen dei & Chriſti extinctum volunt. Et hi ſunt in terra habitantes, id eſt adhærentes terrenis, ac terrena ſapientes. *Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ.* Stola alba typus eſt gloriæ, puritatis & innocentiæ. Sic vnicuiq; data eſt ſtola, id eſt eorum cuilibet data eſt gloria & claritas merito Chriſti, ſecundum fidei & operum menſurā: quia opera eorū ſequuntur illos. Ex his manifeſtum eſt eos iam cum Chriſto eſſe, nimirum cum his omnibus datæ ſint ſtolę. i. vnicuique gloria, idq; ſecundum animam, non autem corpus, pro cuius glorificatiōe æquo aīo expectāda ſubdit: *Et dictū eſt illis vt requieſcerent adhuc*

Stolæ albæ quid ſignent.

tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt sicut & illi. Ad maiorem ac pleniorem interfectorum pro dei & Christi nomine consolationem, corporum suorum expectantium glorificationem, (quæ ante iudicii extremi diem non est futura) dictum est illis, quòd adhuc quiescerent, id est placatè & humanè ferrent, vindictæ tempus expectantes, videlicet extremi iudicii, in quo sanctorum hostes sunt iudicandi. Futura autem non est dies illa quousque electorum numerus sit completus, & tradiderit Christus regnum deo & patri, hoc est donec omnes electi, qui cõserui & fratres dicũtur, prius & nascantur & moriantur. Tunc Christi regnum spirituale perfectum erit, quia in omnib⁹ perfectè regnabit Christus, & deus in Christo: & demum omnibus patri traditis instabit consummatio, vt 1. Corinth. 15. dicitur. Sic Paulus expectat, & omnes Christiani, vt etiam ad Philip. 3. dicitur: Expectamus dominum nostrum Iesum Christũ, qui reformabit corpus humilitatis nostræ

Placide suorũ corporum ac inimicorũ vindictã expectãt martyres

confi-

configuratum corpori claritatis suæ. Diem auté iudicii extremi futurũ esse, & quando, in sequẽtis sigilli apertione demonstratur.

Sextum sigillum.

ET *vidi cum aperuisset sigillum sextum, & ecce terræmotus magnus factus est.* Postquam monuit, diemq; iudicii extremi placidè expectandum (in quo vindicta fiet, & corpus glorificatione dotabitur) hortatus est, vt quæstioni licet tacitæ & suppressæ, respondeat, quæ fieri potuisset de tẽpore futuri & extremi iudicii, addit signa futura quę & in euangelio planè prędixit. hinc nõ multũ immorandũ aut insistẽdũ in explanatiõe sensus literalis & historialis videt̃. Primò nãq; asserit hæc fore ĩ sexta ætate, quia in septima fiet iudiciũ. Et quia hæc iudicio erũt proxima, nõ auté in iudicii tẽpore, hanc ob caussam hæc mysteria in sexti sigilli apertione visa dicũtur. Prius quidé accelerationis iudicii, erit terræmotus magnus. i. incõsuetus atq; nõ vulgaris. Nã à multis annis, & penè in dies fiũt ter-

Signa p̃cessura iudicium vniuersale

Terræmotus.

ræmotus,atq; percipiũtur,sed nõ sunt vniuersales,vt iste erit,ad significandã vniuersalẽ comminationẽ & consummationẽ. Particulares eteñ particularẽ minãtur euersionẽ,hic verò vniuersalis vniuersalẽ:qua de re nõ simpliciter terræmotus dicitur,sed magnus. *Et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus.* id est,amittet lumen suum,& sic deinceps non præerit diei,neq; luna nocti: vnde opacæ ac densissimæ erunt super terram tenebræ.Id enim ex Matt. 24. cap.corroboratur,cum dicit : Sol obscurabitur,& luna non dabit lumẽ suũ. Nõ intelligendũ tamẽ solẽ non posse dare lumen suũ, aut eius radios micare ac splẽdere sed interpositæ nubes prohibebũt ac præpediẽt ne solis claritas videatur, & hoc pacto obscurari dicetur. *Et luna facta est sicut sanguis.* De his duob⁹ signis prædixerat Iohel. Sol cõuertetur in tenebras,& luna in sanguinẽ antequã veniat dies domini magn⁹.Aliæ sunt hyperbolicæ locutiones quas breuitati studens omitto. *Et stellæ de cælo ceciderunt super terram,sicut ficus emittit grossos suos cũ à vẽto magno mouetur,*

Quomodo sol & luna dicãtur suum non dare lumen.

tur. Cadere quidem dicentur, verun- tamen non realiter, sed metaphorice, ita vt earũ casus dicat obtenebrationẽ aut luminis priuationẽ, quia subĩde nõ dabũt lumen suũ, vt Matth. 24. dicitur. Stellæ cadẽt de cælo. *Et cælũ recessit sicut liber inuolutus.* i. Quẽadmodũ nil amplius ex cõplicato libro cognosci aut deprehendi potest, ita talis erit corporũ cælestium mutatio, & à solitis suis actionibus discessus, vt amplius orbis non sit assuetus motus: illud enim Christus idẽ sonare prorsus videtur. s. Virtutes cælorum mouebũtur. *Et omnis mõs & insulæ de locis suis motæ sunt.* i. moueri videbuntur, ob maximũ terræmotũ, ita vt à peculiari loco secedere videãtur. Fieri quidẽ poterit, vt mõtes nonnulli recedent, sicut in exitu Israel de Aegypto exultauerũt vt arietes, quãdo à propriis sedibus & locis dimouebantur. *Et reges terræ & principes, diuites & tribuni, & fortes, & omnis seruus & liber, absconderunt se in cauernis montium.* Quia tanta erit tribulatio quanta non fuit ab initio mũdi. Matt. 24. Arescẽtib⁹ hominib⁹ præ cõfusiõe

Stellæ quomodo cadere dicantur.

Quomodo mõtes moueri videbuntur.

Turbabũtur omnes extremi iudicij tẽpore.

sonitus maris, & fluctuum eius. Sanè non iniuria omnes turbabuntur, cuiuscunque status aut vocationis fuerint. Alia etiã ratione turbabũtur ex parte scilicet iræ & vindictæ iudicãtis, vt sequitur: *Et dicent montibus & petris, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quia venit dies magnus iræ illius, & quis poterit stare?* securus & intrepidus scilicet, quia vix saluabitur iustus: impius & peccator vbi parebunt? non quidem ante thronum, sed si vllatenus fieri posset eos in montibus abscondi & annihilari, id magnopere cuperent: sed mors fugiet ab eis. Hæc dicta sunt iuxta literalem sensum, quanquam penè ab omnibus secũdum allegoricum sensum aut hyperbolicè interpretentur.

Sexti capitis finis.

CAPVT VII.

Summariè obſeruanda.

Primùm de quatuor angelis ventos quatuor detinentibus, alioque forti angelo eis obſiſtente.

Secundò de dei ſigno obſignatis tum ex duodecim tribubus Iſrael, tum ex gentibus.

Demum angelorum, ſeniorũ, & turbæ innumeræ laus & gratiarum actio, ſingulorumque deſcriptio.



Oſt *hæc*, prædicta ſcilicet de ſignis corporaliter hoc ĩ mundo viſibili futuris, *Vidi*, eadem videlicet viſiōe ſub ſexti ſigilli apertione, quia & hæc viſio ad ſextũ pertinet ſigillũ. prius tamē futura cōſpexerat mala Antichriſti tēpore viſibilia ac corporalia: nunc autē futura illo in tempore intuetur, quæ inuiſibilia erũt, eaque cōtra fidem, pios etiam mores. Horum autem deſcribũ-

tur authores. *Quatuor angelos super quatuor angulos terræ, tenētes quatuor ventos terræ, ne flaret vētus super terram, neque super mare, neq; in vllā arborē.* Hi quatuor angeli mali sunt, quorū opera ac medio mundi principes ac tyranni salutarem euangelicæ prædicationis disturbant cursum. Ideo quatuor in vno quouis orbis angulo vidit, quibus totus significatur orbis. Oēs igitur qui verbi dei cursum præpediūt per quatuor mūdi partes, angeli isti sunt, ita vt idē sit vētum cohibere ne flet super terrā, atque verbi dei præpedire cursum. Quatuor autē vēti dicuntur, quia verbū dei in quatuor mūdi partibus per apostolos promulgatū est, quorū son⁹ exiuit ī omnē terrā. Significāt præterea cœtū doctorum prædicātiū, qui quatuor innituntur euangeliis. Hos autē detinēt principes, tyranni, magistratus, cū à se propulsant, aut vniuersos occidunt qui veritatē ingenue fatētur, & prohibent ne spiritussancti flent organa verbi dei veritatē super terrā & mare.i.sup terræ & insularū habitatores, & super vllā arborē.i. hominē. Sumitur itaq; homo p arborem,

Qui verbi dei cursum sunt impeditur gi.

Homo arbor dicitur.

arboré, eò ꝙ in terra arboris instar cręscat, ac corpore augeatur. Sésus igitur sit. Præpediũt ne veritaté doceãtur nedũ terrę & insulę: sed nec vllus oĩno hoĩm Quia aũt more prophetico tristib⁹ lęta ac iucũda miscẽtur: ideo ad piorũ non modicã cõsolationẽ, postq̃ futura prædixit mala tum corporalia tũ spiritalia Antichristi tẽpore, addit electorũ subsidiũ. *Et vidi alterũ angelũ ascẽdẽtẽ ab ortu solis, habẽtem signũ dei viui.* Hic angelus typus est vniuersorũ fideliũ verbi dei ministrorum. Hinc & in plurali dixit, Quoadusq; signem⁹ seruos dei nostri. Signũ porrò dei viui, fidei symbolũ est, quo pios obsignat verbi dei minister, cũ eius verbo parẽt, ex animo credunt, ac obediũt. Sed qd ꝙ ab ortu solis ascẽdere dicit? Solẽ Christũ esse ꝑdiximus. Ascẽdũt igit ministri verbi dei ab ortu solis, qñ à Christo emissi sunt. Sępe eñ in scripturis ascẽdere ꝓ venire vsurpatur. Et ex opposito ascẽdunt ab occasu solis, q à Christo nõ sunt missi, sed à tenebrarũ principe. Habet aũt signũ dei viui, quia habet sigillũ quo signum dei imprimitur. Sigillum quidem dei, verbũ ei⁹ est, quo obsignamur ab angelo &

Fides est dei signũ.

Ab ortu solis ascẽdere.

Ab occasu solis ascendere.

Verbum dei sigillũ dicitur.

dei verbi ministro cum illi credimus: quia tunc imprimitur fides in cordibus nostris, quæ signum est dei viui. Aliud igitur sigillum, aliud signum: licet sigillum signum contineat. Sigillum imprimit, signum verò imprimitur. *Et clamauit voce magna.* Vox magna dicitur, quia ardes & constans erat veritatis assertio, tum illo tempore, tum Heliæ & Enoch, & aliorum verbi dei ministrorum contra Antichristos, ideo dicitur quòd clamauit. *Quatuor angelis quibus datum est nocere terræ & mari.* id est, contra omnes principes & magistratus qui verbi dei præpediũt cursum, sicut & à deo datum & permissum est, vt qui probati sunt, manifesti fiant. Quid tandem eis dixerit, sequitur.

Secunda pars.

D*Icens, nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos dei nostri in frontibus eorum.* Verbi dei ministrorũ cœtus satellitibus ac Antichristi ministris nocere prohibet. Quasi dicat eos minimè posse nocere à deo

à deo electis ne eius verbum recipiāt: quia quos deus prædestinauit, hos vocat, & tandem magnificat: & non potest quisquam eos rapere de manu ei⁹. Huiusmodi igitur est sensus, quòd scilicet eorum ministerio & opera, qui tunc syncere verbum Dei declamabūt, Antichristi tempore, siue Heliæ, aut alterius, impedientur alij Antichristi ne electis quidpiam afferant iacturæ aut incommodi: quia eis obesse nullatenus poterunt quoadusque signo fidei sint obsignati, electi, verbum Dei excipientes. Signabūtur in frontib⁹, id est palàm Christum fatebuntur. Christum enim non erubescere, sed coram hominibus intrepidè confiteri est signatum esse in fronte. Frons etenim est altior & eminentior pars capitis. Ex his palam est, prædestinatum & electū seduci haudquaquam posse, sicut dixit Christus, quòd illo in tempore si fieri potest seducentur & electi, quasi dicat quod fieri nullatenus potest. Electorum autē numerus tum ex Iudæis tum ex gentibus incōprehensibilis est, vt sequitur. *Et audiui*

Electis à esse nō potuit antichristi.

Signari in fronte.

numerum signatorum: centum quadraginta quatuor milia signati ex omni tribu filiorum Israel. Certus numerus hic incerti loco ponitur. Certus quidem recensetur eorum qui ex Iudæis vocandi sunt: incertus autem & innumerus gentium: quo significatur Iudæorum electorum ad gentem electam nullam omnino esse comparationem, quia citra vllam comparationem multo plures ex gentibus saluabuntur, quàm ex Iudæis. Et quia in primis oportebat Iudæis annunciari verbũ Dei. Act. 13. & ad Ro. 1. & eis promissio erat facta de benedictione in eorum semine recipienda: ideo primo describit Iudæorũ saluandorũ numerũ, licet sit determinatus indeterminati loco. Est enim illa insignis tribuum multitudo, ingentis multitudinis typus. *Ex tribu Iuda, duodecim milia signati. Ex tribu* Ruben *duodecim milia signati.* & sic de cæteris. Quãquam tribus Ruben prima tempore fuerit; dignitate tamen tribus Iudæ prima recensetur quia ex ea descendit Christus, & non ex tribu Rube

Multo plures ex gentibus quàm ex Iudæis saluabuntur.

Ex tribu Iuda descendit Christus.

Ruben, eò quòd patris sui ascenderat cubile, cognoscendo scilicet patris sui Iacob concubinam, Balam videlicet: vnde pater eius Iacob abstinuit ab eo tempore à congressu cum ea Balan. Neque etiam natiuitatis ordo hoc in catalogo filiorum Israel expectandus est Iudas enim quinto loco natus, & Gad in natiuitatis serie octauus, hic tertio recensetur loco. Sat itaque sit lectori hoc ex loco colligere multos ex Iudæis ad Christum conuertendos, Dei iudicio relinqués quo fiat ordine. Alius occurrit scrupulus hoc in catalogo, ꝙ scilicet tribus Effraim & Dan non meminerit. Licet equidem potius dei esset ratio cómittenda iudicio quàm describenda, hac tamen caussa (quam excipiet quisquis voluerit) effectum arbitror, quòd nomine patris sui Ioseph intelligatur. Præterea de illa tribu rex Effrateus Hieroboam filius Nabath vitulorum cultum affixit ac introduxit, peccaréque fecit Israel, tertij Regũ duodecimo. Pari gratia tribus Dan non meminit, eò quòd filij eius tulerint ido-

Quare Effraim & Dan tribus non recensentur hoc in catalogo.

la Michę, & illa posuerint in tribu sua in qua permanserunt donec Israel in Assyrios est translatus. Iudicum. 18. Licet harum tribuum nõ meminerit, attamen vniuersæ tribus Israel per prædictas duodecim sunt intelligendæ. Videtur insuper inquirendum, cũ hæc visio à Christi ascensione fuerit, videtur etiam quod illa insignis filiorum Israel obsignatio fuerit ex eo tẽpore facta, & ab huius visionis tempore. Nondum autem factam esse palam est, nec etiam apostolorum tempore, cum omnes duodecim tribus Israel nõ essent in terris Israel, nec adhuc sunt reuersæ. Et ideo vt semper ad eundem tendamus scopum, & ab instituto minimè discedamus: cum hæc visio de his sit quæ Antichristi tempore, & in sexta ætate fient, quæ per sexti sigilli apertionem designatur, vt sextæ tubæ clangori astipulatur & correspondet, & effusioni sextæ phialæ, vt infra patebit, dicendum videtur. hanc insignẽ ac splendidam obsignationem futurã quando reliquiæ Israel saluæ fient, & ad Heliæ prædicationem & aliorum

Quando obsignandi sunt Iudæi.

conuer-

conuertet deus corda patrum ad filios, &c. cum gentium plenitudo intrarit. Publica verò erit huiuscemodi conuersio, quam assumptionem & plenitudinem vocat Paulus ad Rom. 11. prout lapsum diminutionem vocat. Futura est igitur tūc hæc plena & absoluta obsignatio; quanuis ex parte tempore apostolorum inchoata fuerit, quandoquidem ex Iudæis nonnulli conuersi sunt. Huius demum visionis summa ostendit, Antichristi tēpore ad Heliæ & id genus euangelistarū prędi tioné multos ex Iudæis cōuertendos, nec quidé ex Iudæis tantum, sed & ex gentibus quamplurimos, vt sequitur, *Iudæi cōuertendi.* *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Hinc habes electorum incomprehensibilem esse numerum, etsi facta comparatione electorum ad reprobos, pauci & rari sint electi. *Ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis.* Quasi dicat vnicum fieri Christi ouile ex Iudæis & gētibus fidei signo obsignatis. Hocque pacto ad Christū omnes electi conuertētur: quibus obesse non po-

terunt quatuor angeli verbi Dei cursum remorantes, nec etiam obstare quo minus verbum fidei recipiant, minimeque obsignentur. Postquã igitur declarauit vnum ex Iudæis & gentibus futurum ouile Dei, interim viui signo obsignãdum, declarat postmodum eorum electorum post resurrectionem statum futurum, eo inquam modo, vt quod sequitur, stantes scilicet ante thronum &c. referendum sit non solum ad gentium turbam, sed & ad duodecim tribus Israel.

Ex Iudæis & gẽtibus vnũ ouile futurum.

Tertia pars.



Tantes ante thronũ. Quasi dicat, Vidi obsignatos omnes tum ex Iudæis tũ ex gentibus stantes ante gloriæ Dei thronum, & sic illius participes, quia statim post eorum conuersionem instabit generalis resurrectio. Ideo post eorum conuersionis

visionem illico addit à resurrectione eorundem statum, cuius prima cōditio, erit quòd erunt ante thronum. Cum itaque thronus regni typus sit eo designatur deum in ipsis perfectè regnaturum; hinc & subdit eos stantes fore: *In conspectu agni* Christi, scilicet, quia hæredes Dei, cohæredes autem Christi. ad Romanos. 8. *Amicti stolis albis.* Id est vitæ innocentia: quia nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum. *Et palmæ in manibus eorum.* Id est victores: quia palma victoriæ insigne est, nullusque felix futurus est, nisi qui vicerit. *Et clamabant voce magna.* Vox magna, desiderij abundantiam significat, quò Deo patri per Christum felix ac omnimodè faustum precantur imperium, iuxta Psalm. 118. & 1. Corinth. 15. Idemque & patris & Christi regnum confitentur, dicentes. *Salus deo nostro, qui sedet super thronum, & agno.* sit scilicet nostra salus illi grata, iucunda & accepta, qui nos gratis saluauit: cui demū tota salus asscribēda est. *Et oēs angeli stabant in circuitu throni & seniorū*

Stare ante thronum.

& quatuor animalium, & ceciderunt in facies suas, & adorauerunt deum, dicentes, Amen. Angeli saluti hominum congratulantes, gratias Deo agunt, iuxta Christi dictum: Gaudium est angelis in cælo super vno peccatore pœnitentiã agente &c. Luc.15. *Benedictio & claritas & sapientia, ac gratiarũ actio, honor & virtus & fortitudo deo nostro in secula seculorum. Amen.* Septẽ sunt insignes ac percelebres tituli: quibus diuinarum laudum & encomiorum vniuersitas continetur, de quibus videre est supra.5.cap. *Et respondit vnus de senioribus, & dixit mihi: Hi qui sunt amicti stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt?* Senior iste sapientis est typus, Ioannes vero prædicta mysteria ignorantis. Senior autem interrogat diligentis pædagogi instar, qui instruere cupit, quo significatur studiũ & procliuitas eorũ qui spiritu domini dotati sũt, & in eo toti sunt, vt alios edoceant. Cũ igitur nesciamus qui sint illi signati, sedulò auscultemus seniorem illum loquentem, sicut respondet Ioannes omnium nostrum typum gerens. *Et dixit illi,*

Congratulantur angeli hominum saluti.

Qui dei spũ prædití sunt, erudire alios affectant.

xi illi, *Domine mi, tu scis.* Quasi dicat, Me latet, hac in re à te volo erudiri. Quãquam verò sciret Ioannes (mea quidem sententia) ad pleniorem & clariorem tamen prædictorum elucidationem nostramque instructionem inscij & ignorãtis typum gerit, vt responsione instruamur, vt sequitur. *Et dixit mihi: Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione.* De his primùm signatis & electis dicitur id quod commune & vulgare est omnibus sanctis, eò ꝙ omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur, & per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei. Acto. 14. quia regnum cælorum vim patitur; & violenti rapiunt illud. Reddit itaque rationem quare amicti sint stolis albis, & vnde venerunt; quia ex magna tribulatione. Sed quia propria passio minimè sufficit, imò nihil est nisi passioni Christi adiuncta, ideo addit, *Et lauerũt stolas suas & dealbauerunt eas in sanguine agni.* Græci legunt, dilatauerunt stolas suas: quia sicut maiores principes eos qui ex ipsorum sunt familia,

amplis & varietatis exornant vestibus, quibus magnificentiam & ergà eos dignationem suã ostentent: ita & Christus suam quoque familiam & preciose & ingenuè vestit, suæ passionis meritum eis communicans. Hinc efficiuntur corũ stolæ albæ, id est sunt innocentes & mũdi, nullatenus coinquinati. *Et ideo sunt ante thronum dei.* Id est deo placent, & magnopere grati sunt, sicut qui regi placent, in conspectu eius sunt, proximique throno & gloriæ eius. Quod verò Deo placeãt, hoc est quia sanguinis Christi participes effecti sunt, & sic denique dealbauerunt stolas suas in illo. *Et seruiunt ei die ac nocte in templo.* Templũ, seruitium & sacrificium, hæc omnia spiritualiter sumenda & legẽda sunt de cultu illo splendido, ac seruitute illa felici & quieta, qua sancti corpore quidem exuti, absque externo & operoso ministerio inseruiunt & famulantur. Et hoc est eos die ac nocte, id est sine intermissione animi crebris votis Deo esse intentos, prorsusque deditos. *Et qui sedet super throno,*

Stola alba.

Seruire Deo.

no, habitabit super illos. Habitandi verbo quædam amicitia & familiaritas inter deum & electos significatur, sicut dicit Christus, quòd transiens ministrabit illis, quasi dicat, Erit illorum deus, & ipsi eius populus. In medio illorum obambulabit, corúmque res ei curæ erunt, vt eis nihil nec minimum quid desit, vt sequitur. *Non esurient neque sitient amplius: neque cadet super illos sol, neque vllus æstus.* Quasi dicat, neque aliquo indigebunt, neque triste quidpiam aut graue sustinebunt qui sunt ante thronum Dei. amplior additur ratio. *Quia agnus qui in medio throni est, reget illos.* Id est, Ei cura est horum electorum, vt omni & summo fruatur bono, quia beatitudo est possessio omnigeni boni, & omnis mali priuatio. Vt id verò commodius fiat, *Deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Id est efficiet vt summo bono, Deo scilicet, fruantur, qui est fons vitæ, vt inquit Dauid: Quoniam apud te est fons vitæ, quem idem summè peroptat: Sitiuit anima mea ad deum fontem viuum. Et quia Dei visio-

Quid beatitudo.

ne omnis satiatur appetitus, inquit Psalmista, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Ideo deus optimus maximus fons vitæ non iniuria dicitur. satiat enim omnem esurientem animam. *Et absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Id est, Abunde & copiose eos consolabitur, omnémque mœstitiam gaudij & exultationis plenitudine prorsus absorbebit: tristia quoque procul pellentur: nec deinceps illorum incident memoriæ. Quæ omnia nobis sua ineffabili clementia & bonitate prestare dignetur qui viuit & regnat in secula. Amen.

Deus fons vitæ dicitur.

Caput VIII.

CAPVT OCTAVVM.

Liber Tertius, & visio tertia.

Summariè obseruanda.

Primùm Angelum sanctorum orationes offerentem describit.
Secundò Christum sub angeli typo ante altare stantem.
Demum sub quatuor tubarum clangore pleraque adaperit.

ET cum aperuisset sigillum septimum, factum est silētiū in cælo quasi media hora. Septimum sigillum in septima ætate aperietur, quæ nouissima erit, post Antichristi mortem: quo mortuo non modica erit pax & quies in cælo, id est ecclesia militante, sedata ac repressa Antichristorum sæuitia ac persecutione. Idque tantum dimidiata hora, id est breui admodum tempore,

quia statim post hæc ad iudicium venturus est Christus viuorum iudex ac mortuorum. Videtur quidem hęc particula apertionē septimi sigilli continēs pręcedēti addēda capiti, vt capitis finis, secundæ quoque visioni, & septē sigillorum apertioni finem imponat: quia quod sequitur, ad nonam & tertiam pertinet visionem.

Tertia pars, & caput octauum.

Prior pars.

ET *vidi septem angelos stantes in conspectu dei* Per angelos, nuncios siue missos prædicatores intelligit. Et septenario numero (vt crebrò dictum est,) vniuersitas exprimitur: qui stare in conspectu Dei dicuntur, in primis, quia parati & præstò sunt ad omnia illius exequenda mandata. Secundò quia Dei aguntur spiritu, si pij & synceri sint. Tertiò quia ei admodum placent: vnde & ad tale electi sunt exequēdum ministerium. *Datæ sunt illis septem tubæ:* Quanquam tubarum vsus sit multiplex, vnus tamen est potior

tior; quo scilicet potestas publica leges & sententias proclamare solet. *Tuba potior vsus.* Sic & in instituto dare tubam, idem sonat quod dare potestaté legis euãgelicæ promulgandæ. Septem verò dicuntur dari, quia vniuersa potestas ad id manifestandum conceditur: cura etiam prædicatoribus & prælatis commissa ac concredita est. *Et alius angelus venit.* Hic angelus Christum designat, qui est sacerdos in æternum, qui semetipsum per spiritum sanctum obtulit Deo patri pro nobis hostiam in odorem suauitatis. *Christus angelus.* *Et stetit ante altare.* Hoc est quando facturus patris voluntatem, se ad immolandum promptum & sedulum exhibuit & stetit ante altare, id est crucem: In illa enim se Deo patri pro delictorum nostrorum expiatione victimam obtulit. *Habens thuribulum aureũ.* Id est potestatem ponẽdi animam suam, & iterum sumendi eam. Oblatus est enim quia voluit, sicut dixit Pilato: Non haberes potestatem in me vllam, nisi datum esset tibi desuper. Et thuribulum aureum, eius

Aureum thuribulũ Christi corpus dicitur. corpus dicimus sic appellatũ propter suauitatis odorem, quo odoratus est in eo pater. quod denuo est aureũ ob diuinitatis splendorem & fulgorẽ, quia in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis. *Et data sunt ei incensa multa.* Quæ porrò sint illa incensa Christo data, sequens declarat textus. *Vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum.* *Sanctorũ orationes.* Sunt igitur orationes sanctorum siue uiuorum siue mortuorum cum Christo in gloria uiuentium, incensa illa quæ Christus summus sacerdos offert Deo patri. Mediator siquidem noster est aduocatus & propitiatio pro peccatis nostris. Et in hoc sensu dicitur Christus sanctorum orationes offerre, quòd scilicet nullæ sint patri gratæ, nullúmque locum apud eum habent, nisi in illo thuribulo, id est in Christo fundatur. Hinc ecclesia uiuorum orationes Deo offerens semper concludit, Per dominũ nostrum Iesum Christũ: quia eius merito omnia Deo sunt grata. Et quia eius præcipuum meritũ est passio eius, ideo addidit Christum *Sanctorum orationes deo gratæ per christum.*

offerre,

offerre sanctorum orationes, siue id genus opera bona super altare aureũ, id est preciosissimum crucis Christi sacramentum, sine quo nil Deo gratum, qua de re dicitur esse ante thronum, id est Deo supra modum placens & acceptus: vsque adeò vt nulla Deo placeant nisi passionis Christi merito. Ea verò ei impense placere sic à Christo oblata patet. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo.* Incensi vocabulo Deo grata significatur oratio, dicente Psalmista, Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: id est sit accepta. Fumus igitur incensorum de sanctorum orationibus ascendit coram Deo, id est, gratæ & odoriferæ fuerunt illæ orationes Deo patri ideo quòd procederent de manu angeli, id est, Christi, & ab eo forent oblatæ. Quæ tandem erant illę sanctorum patrum orationes, quale eorum desiderium? Vt Christus incarnaretur, nos redimeret, & euangelij veritas à se & apostolis edoceretur, vt ex ordine sequitur. *Quales sanctorum erant orationes.*

Secunda pars.

ET *accepit angel' thuribulum aureum.* Hoc est corpus humanum, deitatis fulgore aureum; vt prædictum est. *Et impleuit illud de igne altaris.* id est amore, ac paßionis & crucis pro nobis sustinendæ ardore, de quo igne dixit Christus, Ignem veni mittere in terram: quid volo nisi vt ardeat? Ideo addit. *Et misit in terram.* Illum ignẽ scilicet, quando eius erga nos maximam misit apostolos prædicare charitatem, enarrando eius paßionis mysterium, quo quammaximè eius dignoscitur dilectio. Commendat enim deus charitatem suam in nobis: quoniam cum inimici essemus Deo, &c. ad Romanos quinto. Et maiorem charitatem nemo habet, &c. Misit igitur illum ignem in terram, quando apostolos ad prædicandum eius paßionis mysterium emisit. Illum autem ignem potißimum misit in die pentecostes linguarum ignearum specie: quo emisso, ac sancto spiritu dato, sequuntur effectus. *Et facta sunt toni-*

Quomodo maxima cognoscatur dilectio.

trua

trua, voces & fulgura, & terremotus magnus. apostolis.s.prædicātibus.hæc enim semper fiunt verbo veritatis reuelato,& spiritu domini in terrā missо. Quid autem sibi hæc velint, habes supra capit. 4. nisi forsan terræmotus non meminerimus quomodo ad apostolorum prędicationem sequutus est. Si de reali intelligatur, nemini dubium est ad eorum verbū multos fuisse terræmotus, quibus promiserat Christus:Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dixeritis monti huic trāsi hinc,transibit &c.Si autē præcedētiū more spiritualiter intelligatur, videlicet tonitrua, fulgura &c. tunc dicitur factus terræmotus, id est maxima permutatio, cum terrenis addicti voluptatibus, spiritales effecti sunt & cœlestes ad apostolorum prædicationem. Quia verò non soli apostoli sed & multi alij promulgarunt Christi euangelium, ideo tempora prædicationis apostolorum & aliorum in septem diuersa secat & partitur, sub septem diuersarum tubarum typo, quia his diuersa enar-

Duplex terræmotus, realis & spiritualis.

rantur mysteria, prout diuersæ fuerũt in ecclesia variis temporibus persecutiones.

Tertia pars.

ET septem angeli qui habebant septem tubas præparauerunt se vt tuba canerent. Id est, Verbi Dei ministri qui habent tubas, id est quibus ex officio incumbit prædicare, quandoquidem ad hoc opus euangelicum vocati sunt à Deo, præparauerunt se ad prædicãdum: quia vt de his ministris dixit Paulus 2. Corinth. 3. elegit nos idoneos ministros noui testamenti, non quòd sufficiẽtes simus ex nobis quasi ex nobis &c. Indigent igitur verbi Dei ministri magna præparatione: quia dominus est qui dat verbum euangelizantibus virtute multa, sicut pollicitus est apostolis, Dabitur vobis in illa hora quid loquamini, non tamen impræparato corde, de quibus in primis loquitur: quia inter verbi Dei ministros primò in ecclesia apostolos posuit.

Præparatione indigent verbi dei ministri.

fuit. 1. Corinth. 12. *Et primus angelus tuba cecinit* Hic primus angelus, id est missus siue angelus, typus est cœtus & congregationis apostolorum, qui dignitate primi sunt, & primi à Christi ascensióne statim tuba cecinerũt, euangelium constanter & intrepidè prædicantes, & annunciantes gaudium magnum. Quia verò bonum nuncium, siue euangelium annunciabant, aptè profecto angeli dicuntur, ac per angelum adumbrantur. Primi igitur nuncij fuerunt dominicę resurrectionis, & nostræ iustificationis. Ipsis autem Christi euangelium declamantibus ac prædicantibus, plerique tum ex Iudæis tum ex infidelibus in eos insurrexerunt, diuersis ac variis eos persequentes afflictionibus. Ipsarum autem persecutionum diuersitas ac seueritas sequentibus declaratur verbis. Et *facta est grando & ignis mixta in sanguine.* Prædicantibus scilicet apostolis, referendo ad tempus in quo apertum est primum sigillum & tunc equo albo designati sunt apostoli. Illo igitur tempore (vt inter se coinci-

Apostoli angeli dicti.

dant primum ſigillum & prima tuba, id eſt aperto primo ſigillo, & prima canente tuba, facta eſt grando, id eſt impetuoſa & turbulenta perſecutio. Grando enim impetum ſignificat omnia vaſtãtem. Vnde Eſaiæ vigeſimo-octauo. Ecce validus ac fortis dominus, ſicut impetus grandinis, turbo confringens. Et xxx. Allidet in turbine, & lapide grandinis. Ignis autem miſcetur grandini, id eſt impietas, quæ per ignem ſignificatur Eſaiæ nono. Succenſa eſt quaſi ignis impietas, veprem & ſpinam vorabit. Et iterum miſcetur igni, id eſt crudelitati, quæ eſt ſæuitia ad ſanguinis effuſionem vſque. quaſi igitur dicat. Illa apoſtolorum tempeſtate fuit impetuoſa impia & crudelis perſecutio. *Et miſſum eſt in terram.* Aut paulo cõmodius, miſſa ſunt in terram, mixta ſcilicet prædicta. Sed quomodo? Miſſa hunc in modum dicuntur, quia huiuſmodi flagellis afflicti ſunt apoſtoli, & cæteri verbi Dei miniſtri, Deo permittente ad eorum maiorem probationem. Et quia Deus permiſit, ideo

Grando impetum ſignificat.

Ignis impietatem nonnunquam adumbrat.

ideo missa, dicuntur. Quia verò ad eorum maximum permittat incidere bonum ac probationem, sequitur. *Et tertia pars terræ combusta est.* Id est, Tertia pars Christianorum hominum in terra primitiuæ ecclesiæ tempore afflictionis igne adusta est, non tamen consumpta, quia non ad destructionem, sed ad probationem permittit deus. *Et tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est.* Sæpius dictum est per arbores homines designari: ac iidem per fœnũ viride figurantur, videlicet omnes Christiani quotquot in primitiua erant ecclesia apostolorum tempore, viridi quippe & viuaci exornati fide, qui afflictionũ ardore adusti sunt, de quibus dicit Psal. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Ita consueuit deus eos suos probare electos tanquam aurum in fornace, sicut Zacha. decimotertio dicit ad huius textus institutum: Duæ partes dispergentur & deficient, sed ducam tertiam partẽ per ignem, & vram eos sicut vritur argé-

Viride fœnum quid significet.

Probat dominus suos electos.

tum. Cum certum sit omnem hominũ congregationem ex Iudæis, Paganis & Christianis esse conflatam: duæ partes dispersæ à veritate deficientes Pagani sunt & Iudæi. tertia autem quæ argẽti instar vritur, est Christianorum pars, quæ maximè apostolorũ tempore igne afflictionis vrebatur. Summariè itaque ostendit quòd prima canente tuba, id est prædicantibus apostolis magna fuit Christianorum persecutio, quæ per ignem, grandinẽ, sanguinem & combustionem significatur. *Et secundus angelus tuba cecinit.* Hic angelus ministrorum verbi Dei typus est post apostolorum tempus, qui secundo aperto sigillo Christum docuerunt his autem prædicantibus, quod sequitur factum est. *Et tanquam mons magnus igne ardens proiectus est in mare.* Mons superborum & sublimium figura est, tyrannorum scilicet, qui tunc sigillo secundo aperto dicti sunt regnasse, ac Christi martyres occidisse: vnde per equum ruffum designabatur. Et nunc per mortem magnum eorum superbia & sub-

Mons superborum typus.

limitas

limitas designatur, sicut dicitur Esa. 4. Omnis mons & collis humiliabitur. Dicitur autem ille superborum cœtus, igne ardens, cum ignis (vt superius diximus) impietatis sit symbolũ. & significat hoc in cœtu malitiã & impietaté effrenatissimã & hoc ab eius capite, satana scilicet. Dicit præterea hunc montem in mare proiectum. Sæpius quidem dictum est, per mare & aquas multas, populos exprimi. Esa. 17 Sic in populos proiectus dicitur satan ipse, & alij tyranni principes; vt in omnes sæuiant Christianos omni in regione habitantes. Et quia id à Deo permissum est, ideo proiectus dicitur, quasi dicat; Diuino permissu, aliàs non, habent tyranni potestatem fideles persequendi. Vnde magna exoritur occisorum cõsolatio, quòd scilicet Deo & volente & permittente eos aggrediatur huiuscemodi persecutio. *Et facta est tertia pars maris sanguis.* Cum mundi tertia pars sit fidelium & electorum, & penè nulla appareat, infidelium & reproborum ratione habita, sensus est, tantam fuisse

Aquæ populos significant.

Perpauci fideles in fideliũ respectu.

sanguinis martyrum effusionem (his persequentibus tyrannis, secundo aperto sigillo, & secunda canente tuba) vbique terrarum, vt tota fidelium congregatio sanguis videretur. Hinc persecutores secũdo sub sigillo equus sanguinolentus vel ruffus dicti sunt. Addit insuper ad copiosiorem declarationem. *Et mortua est tertia pars omnium creaturarum.* Id est, multi mortui sunt pro Christo & occisi, qui tertiæ erant partis siue congregationis fidelium & electorum. Quod autem dicitur tertia pars mortua, id est ingens multitudo & innumera illius tertiæ partis quæ est fidelium. Quia verò corpore tantum mortui sunt, non spiritu, ideo vt eos æternaliter viuere commonstret, addit. *Quæ habebant animas.* rationales scilicet, & immortales, quasi dicat. Tametsi impiorum oculis perire videantur, haudquaquam profectò pereunt, quia animas habent immortales, & perpetuò cum Christo regnant. *Et pars tertia nauium interiit.* Nauis typus eius est qui hoc in mundo variis tentationum ac

Multi pro Christo occisi.

afflictionum

afflictionum procellis hinc inde agitatur. Nauium igitur vocabulo electos & fideles intelligit Christianos, qui illo persecutionis tempore tyrannorum, nauium instar variis afflictionibus agitati erant ac fluctuantes. Et tertia pars interiit, quia passim à tyrannis occidebantur, non quidem (vt prædictum est) animæ sed corporis interitu. Ex prædictis liquidò constat qualis sit prædictorum, sub secundo scilicet sigillo aperto, & horum coincidentia, quæ secunda canente tuba declarata sunt. Idem sane videtur esse scopus, quo apostolorum transacto tempore, magnam fidelium persecutionem, & non paruam sanguinis effusionem per tyrannos principes futuram declaret & aperiat. *Et tertius angelus tuba cecinit.* Id est, Tertius prædicatorum ordo, tertio aperto sigillo, equo nigro regnante, synagoga scilicet hæreticorum, aduersus eos prædicare cœpit. Et illorum hæreticorum tempore

Electi & fideles agitatis nabibus similes.

Cecidit de cælo stella magna ardens tanquam facula, Hæc stella typus est hæresiarcharum singulorum, qui ab impiis stellæ dicuntur, & tales eis videntur, prout vt supra dictum est: & pii doctores stellæ verè sunt in ecclesia, in qua velut in cælo sunt & lucent: de cælo verò minimè cadunt. Hæresiarchæ autem, sicut Arrius, & alij plerique, de cælo ceciderunt, apostatátes à veritate, post sua ambulantes mendacia, tantum in terrestrium ac carnalium terra lucentes & accepti. Horum porrò quilibet stella magna dicitur, quia propriis in oculis ac iudicio magnus, & sic præsumptuosus. Vnde & à præsumptione sumpsit exordium hæreticorum cáterua. Ardens insuper dicitur propter nimiam insaniam ac malignitatem in propriis asserendis mendaciis. Sed tanquam facula ardere dicitur, quia hæresiarcha alios ad prauitatem & hæresim incendens, seipsum consumit & vrit. *Et cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.*

Pij doctores stellæ sunt in ecclesia, verè.

aquarum. Per fontes aquarum, Dei eloquia ſignificantur. Eſaiæ quinquageſimoquinto, & Ioannis quarto. Flumina autem inde emanantia ſanctorum patrum ſunt in ea conſcripta monumenta. In hæc ergo dicitur ſtella illa cecidiſſe, quando falſa hæreticorum interpretatione eloquia Dei turbantur, ſanctorum quoque monuméta: & omnino illorũ ſubducitur dulcedo, & tandem Dei verbum adulteratur. *Et nomen ſtellæ dicitur abſinthium.* Propter doctrinæ amaritudinem hæreticorum quidem mortifera mendacia amaritudine ſunt plena. *Et facta eſt tertia pars aquarum in abſinthium.* Id eſt, Scripturæ ſanctæ quæ prius ſano intellectæ & integro iudicio, omnibus verè Chriſtianis perdulces erant, hæreticorum abſinthio intoxicatæ ac inamaricatæ ſunt: cuius amaricationis ac infectionis ſequitur effectus. *Et multi hominum mortui ſunt de aquis; quia amaræ factæ ſunt.* Bibentes ſcilicet de aquis ita intoxicatis & amiricatis. Bibunt autem illi, quibus placent impoſtorum do-

Fontes aquarum dei eloquia ſignificant.

Abſinthium amarum.

ctrinæ, & scripturæ sanctæ hæretico sensu propinatæ. In horum enim cordibus maximè fit amaricatio, quibus hæreticorum arrident & placent mendacia, eaque recipiunt, syncceram respuentes doctrinam. Hinc itaque compendiose edocemur, illo in tempore, sub tertio videlicet sigillo, tertia etiam canente tuba, sanctas scripturas sanctorúmque volumina hæreticorum prauitate ita fuisse infecta, vt tertia pars, id est magna & numerosa portio in absinthium versa sit: vnde multorum hominum mors animæ, casus scilicet à fide sequutus sit. Quid, quæso, hac etiam tempestate magis homines (simplices maximè) inficit ac perdit, quàm scripturæ hæretico amaricatæ absinthio? Ab eo igitur tempore surrexit ac prorepsit abominanda hæreticorum caterua, sub tertio sigillo equo nigro designata. Quadrant igitur & in idem coincidunt tempus, & tertium sigillum, & tertia tuba. *Et quartus angelus tuba cecinit.* Id est, Quartus prædicatorum ordo quarti sigilli

Bibere de hæreticorum absinthio quid sit.

Scripturæ amaricatæ.

ſigilli apertione adumbratus, prædicare cœpit. Horum omnium typus eſt is angelus. *Et percuſſa eſt tertia pars ſolis, tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarum, ita vt obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter.* Sol Chriſtus, luna eccleſia, ſtellæ doctores, ſiue miniſtri verbi Dei: quæ omnia percuſſa ſunt ſub quarti ſigilli apertione, regnante equo pallido, id eſt hypocritarum ſecta. Poſtquam enim multi hoc abſinthio potati, id eſt referti mortifera hæreſum amaritudine, diuinis eloquiis ſua fucata ac falſa dogmata paſsim ſparſerunt, quibus à fide deſciuerunt non pauci, tandem vſque ad tempus cuius hoc loco meminit, plures fuerunt ſynceri doctores hoc quarto angelo figurati, quibus prædicantibus ſatanæ artificio ſenſim redierunt ac pullularunt impoſtricis doctrinæ venena, per Mahumetum, Lutherum, ac vniuerſos Antichriſtos hypocritas, qui pietatis ac religionis prætextu contra pietatem belli-

Falſis dogmatib⁹ diuina eloquia ab hæreticis referta.

bus bonis parum admodum luceret: sicque tertia pars eorum, docto-rum scilicet, hypocrisi obscurata est: cum liquidò constet, eos veræ fidei integritate, morũ etiam & vitæ candore minime luxisse, sed potius in inscitiæ & ignorantiæ tenebras prolapsos fuisse. *Et vidi & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cæli.* Aquila typus est prædicatorum, qui morum integritate, doctrinæque syncere sublimitate cæteris altius volare debent. Vna dicitur propter eorum vnionem & nexum ad eundem scopum tendentium Christum scilicet: quia diuisus non est Christus, vt licitè quis dicere queat: Ego sum Pauli, ego Apollo, &c. Ad hæc dicitur volare per medium cæli, id est per medium ecclesiæ, quia publicè ac palàm prædicant, veniuntque ad lucẽ, vt eorum manifestentur opera. Quid tandem dicebat? *Dicentis voce magna,* Id est magno affectu, quæ sequuntur, non quidem imprecando, sed prædicendo, ac condolendo. *Væ væ væ habitantibus in terra.* Eo scilicet tempore quo percussus est sol, luna & stellæ, vt

Aquila integræ doctrinæ doctorum typus.

dictum est. Ministri verbi dei videntes lucem veritatis & professorum numerum amatorumque eius in dies deficere ac imminui, errorũque tenebras nõ parum vehementer augeri, dixerunt, Vę habitantibus in terra. Cessit nimirum res semper in deterius, sicut & hodie videmus. Vnde multi iusti, temporis videntes malitiam, fidei quoque pericula, malunt equidem dissolui, quàm manere in carne. Quale obsecro væ deterius & grauius mũdo incidere potest, quàm veritatem proscribere, & ab ea deficere fide, quę omnium virtutum est fundamentum, ac basis totius spiritualis ædificij? Tria autem vę enumerat, eò quòd futura erant sub tribus nouissimis tubis, in earum contemptores, quà de re in sequenti capite vnum væ abiisse dicitur, & tandem sub tribus vltimis tubis tria væ futura declarabuntur. Hinc addit: *De cæteris vocibus trium angelorum qui erant tuba canituri.* nunc supple dicendum est, eò quòd illa tria væ sub eis absoluentur, si tamẽ quòd vltimum væ in vltima complebitur ætate, septima scilicet, sub septimo-

Propter temporis malitiã cupiunt dissolui iusti

mo angelo, ſeptima canente tuba, ſeptimo etiam ſigillo aperto, vt quadrẽt vltima primis.

Explicit Caput octauum.

CAPVT IX.

Summariè obſeruanda.

Sub quinta tuba hæreticorum deſcriptio per ſtellam de cælo delapſam, puteum abyſſi, & locuſtas, exprimitur:
Sub ſexta tuba quatuor deuinctorum angelorum ſolutio,
Demum equitum & equorum in perdẽdis hominibus ſæuitia & pernicies.



T quintus angelus tuba cecinit. id eſt, quintus prędicatorum ordo ſecũdum temporis diuerſitatem prædicare cœpit. Diuerſitas nempe angelorũ tuba canentium, & temporis & prędicatorum ſignificat varietatem. Illo igitur tempore ipſis prædicanti-

bus futurum est quod sequitur. *Et vidi stellam de cælo cecidisse in terram.* Hæc stella de cælo cadens omnium hæreticorum typus est, qui à fide ceciderunt, & sic ab ecclesia sunt diuisi. Vnde de cælo cecidisse dicuntur. Sed præterea in terram, quia terrenis addicti voluptatibus, & ea de caussa in errore permanent, vt propriis terrenis concupiscentiis faciant satis. Maximè quidem hac stella in terram prolapsa illi designantur hæretici, qui aliquando inter Christianos doctores & prædicatores fuerunt veluti stellæ aliis lucentes, sed tandẽ in erroris tenebras ceciderunt, & putantes se sapientes esse, stulti facti sunt, eorumque deperdidit deus sapientiam, stultamque fecit, quales (magno interim ecclesiæ damno) penè innumeri hac tempestate exorti sunt.

Quare stella à cælo in terrã delapsa adumbretur hæretici.

Et data est ei clauis putei abyßi. Cœtui scilicet hæreticorum ita lapsorum, ac per cadentem stellam designatorum, data est à deo, cum eos immisit in reprobam mentem, clauis putei abyssi, id est carnalis & animalis intelligentia, quæ est clauis qua sinistrè & prauè aperiunt & inter-

Qualem habeãt abyßi clauem hæretici.

& interpretantur ſcripturam, ac tandem fallunt, & deceptos in puteum abyſſi, id eſt in infernum deducunt. *Et aperuit puteum abyſſi.* id eſt viã ad perditionem, quia Antichriſti tempore, cuius hic maximè habet ſermo, hæretici & pſeudoapoſtoli penè innumeros ſeducent. Ideo dicitur quòd aperiet clauem abyſſi. Eorum enim eſt aperire, claudere verò haudquaquam, quod eſt indurare, & excęcare: ſicut ex oppoſito Chriſti & ſuorum apoſtolorum officiũ eſt infernum occludere. Aperiunt igitur hæretici puteum abyſſi, ſed claudit Chriſtus, cum fideles à perditione immunes & liberos facit. *Et aſcendit fumus putei ſicut fumus fornacis magnæ.* Puteus iſte locus eſt in quo ſatan & eius angeli occluduntur: Hinc huius putei fumus, illuſiones, deceptiones, mendacia dicuntur, quorum omnium pater eſt ſatan. Dicitur etiam hic fumus aſcendiſſe, quia ad mundi ſapientes vſque mendacium & impoſtura ſerpſit. Obſcura profectò & tenebroſa admodum hæreſum doctrina haud ſecus eſt atque déſiſſimus fumus ex magna for-

Claudere puteũ abyſſi qd.

Hæreticorũ doctrina vt fumus aſcendit.

nace egrediens. *Et obscuratus est sol & aer de fumo putei.* id est, Illis mendaciis ac imposturis decepti sunt tum qui in ecclesia primores erant, tum infimi siue simplices, qui à maioribus tanquam aer à sole lumen recipiebant. Qua de re per solem maiores, & per aerem designantur simplices. *Et de fumo putei exierunt locustæ in terram.* Vbi primùm hæresum fumus ex satanæ mendacij patris puteo ad plurimorum nares peruenit, easque adflauit, exierunt super terram locustæ, id est multi predierunt hæretici, hi videlicet quibus abominandus fumus vt plurimum gratus fuit, de quibus Paulus dicit. 2. Timoth. 4. In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, ac doctrinis dæmoniorum. Quæ dæmoniorum doctrina verè est putei fumus, prædicti satanæ scilicet. Similes autem locustis dicuntur, eò quòd sicut locustæ, mentis elatione in altum subsiliunt, & tandem per cupiditatem in terram recidunt. Sic denique fundamentum & scaturigo hæresis est men-

Locustis hæretici p similes.

tis

tis elatio, finis autem voluptas. Terrenis siquidem voluptatibus & deliciis vt plurimum addicti sunt. *Et data est illis potestas sicut habent potestatem scorpiones terræ.* Scorpionum huiusmodi est natura, vt ab initio leniter & blandè attingant hominis manum, sed ipsa cauda pungunt, punctione inquã mortifera. Sic hæretici hac potestate sunt scorpionum, quandoquidem summa aggrediuntur incautos blandiloquentia. Nam eorum sermone nil blandius aut sanctius videtur, quippe qui nil in ore habeant præter suæ fragilitatis agnitionem, Christum', spem, & id genus: sed abscedentes cauda venenata feriunt: & quos aperta sæuitia occidere nequeunt, occulta perimunt malitia, sublata quauis cõparatione vniuersis terræ scorpionibus multo nocẽtiores. Quid enim nocentius ac lethalius his locustis, quę turmatim incedẽtes virentia quæque interim corrodũt? *Et præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neq; omnẽ arborẽ, nisi tantum homines qui non habent signum in frontibus suis.* q.d. Etsi eis data sit

Scorpionum natura.

Scorpionibus hæretici nocentiores.

scorpionum potestas, vt nocere possint hominibus, non tamen datum est illis vt quicquid velint possint, & in quosuis id exerceant: sed mādatum est illis ne fœnum læderent, neque omne viride. Per hæc viridia fideles intelligit. Nam hi spiritus dei fructibus ac virtutibus virides sunt. Potestatem autem habent siue permissionem qua eos torquere possint, ac eis nocere hominibus, qui non habent signum in frontibus suis, id est incredulis, & inanem fidem tantum præ se ferentibus. Hi nāque ad hæreticis perfacilè & lædūtur, & seducuntur, nullatenus verò qui veræ fidei symbolo & charitatis insigniti sunt. *Et datum est illis ne occiderent eos, sed vt cruciarentur mensibus quinque.* Quasi dicat, quanquam eis Antichristis & locustis data sit potestas qua lædere obsessque possint prædictis signo dei non insignitis, non tamen qua eos possint occidere. Vexare quidem & cruciare possunt, vt sic cruciati resipiscant. Qualis verò is sit cruciatus, sequitur. *Et cruciatus eorū vt cruciatus scorpii cum percutit hominem.* Hic cruciatus

Quibus nocēdi potestatē habent hæretici.

vexatio

vexatio est conscientiæ, cum ij quos hæretici sua impostura infecere, tanquam scorpij ictu, verme punguntur conscientiæ, atque cruciantur intelligentes eorum impia esse dogmata, præ superbia tamen ab iis desciscere nolẽtes. Horum finis est interitus, quia sicut scórpius blandè in speciem ingressus intoxicata ferit hóminem cauda, ita nisi resipiscãt, morte æterna siue gehenna cruciabuntur perpetua, quæ est scorpij cauda, siue satanæ, quia finis assequi nitebatur. *Et in diebus illis quærẽt homines mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* Hi homines pij sunt, & veri fideles, qui tunc vidẽtes Christi ecclesiam vsqueadeo miserrimè afflictam importuna hæreticorum prauitate & vehemẽtia, totq; fidei hinc inde imminere pericula, optabunt dissolui, & esse cum Christo: sed vsque adeò mors fugiet ab eis, dei scilicet decreto, vt adhuc aduersus hæreticam perfidiam permaneant, & non pereant, sicut Paulus malebat in carne diutius manere, quàm dissolui propter Christi lucrum. *Et similitudi-*

Vermis cõsciẽtiæ.

nes locustarum similes equis paratis in prælium. Id est, hæretici per locustas designati, equis sunt persimiles, &c. id est, fortes & veloces ad veritatem impugnandam, & ad hoc semper parati, quia eorum animus semper contentiosus est, & ad bellum parati sunt, id est ad contentiones, lites, rixas, diuisiones, &cætera.

Equis persimiles hæretici.

Et super capita eorum tanquam coronæ similes auro. Coronam suprà diximus victoriæ typum esse quia verò hæretici etsi nunquam vincant, neque etiam se victos fatentur aut agnoscunt, tamen plerunque sese victores iactitant: hac de re super capita coronas gestare videntur, auro quidem persimiles, non autem aureas, quia pietatis habentes speciem, eius abnegant virtutem. 1. Timo. 2.

Et facies earum tanquam facies hominum. Faciem habet hominis, qui humanitatem præ se fert, cuius sermones & opera rationi videntur conformia, à magna etiam profecta prudentia huiusmodi non paucis videbuntur

Faciē habere hominis.

buntur hæreticorum ſermones & opera: quamobrem faciem hominis habere dicuntur. *Et habebant capillos ſicut capillos mulierum.* Hi capilli effœminatam eorum denotant mollitiem. typi enim ſunt animi ac morum effœminatorum, ac omnis carnis immunditiæ, quæ inter eos non ſecus abundat, quàm in oceano vaſtiſſimæ aquæ. *Et dentes earum ſicut dentes leonum erant.* Supremæ crudelitatis typus ſunt leonini dentes, vocacitatis quoque ac rapacitatis, quaſi igitur dicat: Sunt crudeles, voraces, ac rapaces, quia eorum doctrina animas laniat ac vorat. Dentes leonum præterea fœtere ferunt nonnulli. Sic & eorum doctrina fœtida & mortifera eſt. *Et habebant loricas ferreas.* Lorica ferrea nonnunquã bonam, nonnunquam malam ſumitur in partem. In iuſtus quidem typus eſt conſtantiæ in veritate & iuſtitia, in impiis verò deploratæ & obſtinatæ malitiæ, iniuſtitiæ & impietatis. Quid autem omni in malo his hæreticis & locuſtis obſtinatius? Et

Mulierũ capilli quid ſignificent.

Obſtinati hæretici.

Null⁹ cēsendus hæretic⁹ nisi obstinat⁹ & pertinax fuerit.

non iniuria equidem. Nam formalis ratio hæresis est, vt vnà sint pertinacia & obstinatio: alioqui nullus est hæreticus censendus. Cum itaque hæretici præcordia habeant obdurata, hac de re iure loricas dicũtur habere ferreas.

Et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.

Alæ sunt ea quibus auium corpora in sublime ferũtur, vnde typus sunt eorũ quibus execrandæ illæ locustæ moueñtur, seipsas plus æquo extollentes, & nil non audentes. Vox autem illa magna tantique impetus, præpotentem fortemque designat assertionẽ. Quòd subinde dicatur sicut vox curruum & equorum multorum, &c. caussa est, quia quemadmodũ curruum & equorum ad bellũ præparata multitudo, ob diuersarũ rotarũ impetum variis resonat stridoribus, adunata tamen & collecta in aduersarios fertur & properat: sic & hæreticorum synagoga. Quanquam enim in disceptationibus & sententiis sint discordes (vt in multis verissimum est deprehendere) in hoc vnum tamen toti ac concordes feruntur, vt ecclesiam impu-

Hæretico rũ synagoga curruũ & rotarũ impetui cõparata.

impugnent, ac veritatem. *Et habebant caudas similes scorpionum.* Quare has habere dicantur caudas, ratio superius data est: potior autem sequitur: *Et aculei erant in caudis earum.* Quia etsi blandi sint in facie, intoxicata tamē ac virulēta cauda lethaliter pungunt. Cauda enim finis & exitus est figura. *Et potestas earum nocere hominibus mēsibus quinque,* Id est toto vitæ tēpore, quæ quinque continetur ætatibus, infantia scilicet, pueritia, adolescentia, iuuentute, & senectute. *Et habebāt sup se regē abyssi, cui Hebraicè abaddon, Græcè autē, apollyon, & Latinè nomen habēs exterminās.* Quasi dicat, omnium locustarum & hæreticorum rex est diabolus, qui abaddon dicitur, quia abad Hebraicè perdere significat: & sic abaddō perditionem siue perdentem signat. Cum itaque diabolus secū omnes perdere exoptet, aptè equidem hunc in modū appellatur. Et ἀπολλύων, quod eiusdē est significationis. Perdentiū ergo & perditorum hominum nomen est perdēs.

Quinque hominis ætates.

Hæreticorum rex, diabolus.

Secunda pars capitis.

VAE vnũ abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ post hæc. Quasi dicat, postquam de primo væ, siue de prima maledictione dictum est: superest vt de aliis duabus maledictionibus dicamus. Primùm væ siquidem abiit, id est declaratum est. Secundum verò sub sexta tuba declarandum sequitur. *Et sextus angelus tuba cecinit, & audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei.* Quia præcedenti in capite à trium angelorum vocibus tuba canituris vę in terra habitantibus declamatum est, iamque de primo disseruimus sub quinta tuba, superest modò de secundo dicendum, sexto canente angelo. In primis, quia væ aliquid execrantis est interiectio: mirumque in modum execranda significat, posteaquam de execranda hæreticorum persecutione & sæuitia habitus est sermo, qui quidem locustis prædictis significabãtur: nunc sub aliis typis de iisdem sentiendum argumentum effertur.

Væ execrantis interiectio.

Sed eo-

Sed eo in tempore quo ſextus angelus tuba cecinit, id eſt miniſtris verbi dei ſyncere, pure, ac demum conſtanter prædicantibus, ſub ſexti apertiõe ſigilli audita eſt vox vna, ad angelũ tuba canẽtem directa, id eſt ad vniuerſos tunc ſyncerè verbum dei prædicantes. Hæc autem vox ex quatuor cornibus altaris aurei procedit. Altare quidem aureum ſuperius Chriſtum ſignificare diximus, ſuper quod ſacrificia noſtra deo offerre debemus. Verè inquam aureum, tum ob eius diuinitatum aſſiſtentem, tum ob eximiam charitatem. Quid autem eſt procedere ex quatuor eius cornib⁹? Eſt profectò à quatuor emanare euangeliis Chriſti, quæ ob eam cauſſam cornua dicuntur, eò quòd his contra infideles & Iudæos pugnamus. Horum autem quatuor vna vox dicitur, quia inter eos ſumma eſt concordia. Dicuntur inſuper cornua altaris aurei, quia ab eo reuelata, & de eo. Hanc verò vocẽ veriſſimã fore probat. *Quod eſt ante oculos dei.* Quia altare illud, Chriſtus

Aureũ altare Chriſtus.

Euãgelia 4. cornua quare dicta.

[illegible] deo pergratus, igitur & vox
[illegible] à suis cornibus vera est ac
[illegible] deo placens, ac ille qui reue-
[illegible] quae reuelatur. Alio siquidem
[illegible] dei esse dici potest,
[illegible] propitiationis, & sem-
[illegible] interpellans pro no
[illegible] Rom. 8. Quid vero haec vox
[illegible] *Dicentem sexto angelo*
[illegible] vniuersis prae-
[illegible] sub sexti apertione si-
[illegible] *Solue quatuor ange-*
[illegible] *flumine Euphra*
[illegible] nec cito soluen-
[illegible] qui quatuor dicunt,
[illegible] partibus adue-
[illegible] fideles maxime
[illegible] in magn[illegible]
[illegible] quod no[illegible]
[illegible] Nam eis in Chri[illegible]
[illegible] & con[illegible]
[illegible]

hæreticorum multitudo. Hinc subdit, *Et soluti sunt quatuor angeli,* dei scilicet permissione, qui hæreses suboriri sinit: vt qui probati sunt, manifesti fiant. Vnde solutio, permissio dei dicitur, quo non permittente nullatenus nobis nocere possunt. *Qui parati erant in horam, diem, mensem, & annum, vt occiderent tertiam partem hominum.* Id est, omni tempore parati & præstò sunt dæmones, suggestione & Antichristi ministerio & opera, praui [illegible] rinis terti[illegible] occidere homin[illegible] m, vero[illegible] *mões* licet & fideles [illegible] s, qui [illegible] *p pa-* vix tertiam e[illegible] dnum [illegible] *ad ho* quia multi [illegible] verò [illegible] *nes p-* cti. *Et* [illegible] *ris e* [illegible] *endos,* *milli* [illegible] tus [illegible]

[illegible]

tur per quatuor mundi partes homines seducere: & hac de caussa quatuor dicuntur, *Et audiui numerum eorum.* Prædictum scilicet intellexi numerũ.

Tertia pars.

ET ita vidi equos in visione. Hæreticos scilicet & Antichristos. *Et qui sedebant super eos* Sessores dæmones, *Habebāt loricas igneas, & hyacinthinas & sulphureas.* Lorica siue thorax munimentum est pectoris. Quando quidē sumitur in bonā partem, typus est iustitię: & ecōtrario quādo in malā, iiustitiæ, sicut hoc loco ꝑ iniustitia sumitur. Est igitur sessorũ thorax iniustitia ipsa, in qua obdurati ac pertinaces sunt. Ipsa autē triplex est, ignea. s. hyacinthina, & sulphurea, cũ ignis impietatem (vt sæpenumero dictũ est) significet. Muniũt itaq; pectora sua, sessores tũ eos quibus insidēt, eis cōsentiendo, & sese illis accōmodando, primo quidem iniustitia per thoracem designata, deinde impietate per ignem adumbrata. Sed prætereà hyacinthina dicitur propter cælestis iustitiæ simulationem

Lorica dupliciter sumitur.

nem

nem. Nam hyacinthus cæli habere similitudinem perhibetur. Cum verò sinistram sumitur in partem, typus est hypocriseos & simulatæ charitatis. Cũ verò in bonam, veritatis typus est ac charitatis, eò quòd gemma sit aurei coloris: & hoc sensu manus sponsi Cantic.5. hyacinthis plenæ dicuntur. Secundum verò priorem acceptionem lorica dicitur hyacinthina propter simulationem, sicut in instituto: quandoquidem angelus satanæ transfert se in angelum lucis. Sulphurea demum quoque dicitur, cum sulphur fœtidum sit, ac quod citissime inflammatum & succensum, omnis spurcitiæ carnis ac immundæ doctrinæ figura est. Hi itaque sessores, dęmones scilicet, hunc in modum armati, equis insidere dicuntur, id est Antichristis & hęreticis, quia eos in prædictis imitantur, in iniustitia scilicet, impietate, hypocrisi, & demum carnis fœditate. *Et capita equorum erant tanquam capita leonum,* Id est hæretici & tyranni per equos designati capita habent leonũ instar elata ad deuorandos ac laniandos pios

Hyacint' duplicem habet significationem.

Sulphur fœditatis typus.

Leonina tyrāni & hæretici habent faciem.

fideles, simplicesque Christianos. Prius quidem cum locustæ essent, habebant & caput & faciem veluti homines, quia eorum dicta nonnihil præ se ferebant rationis: sed procedente tempore, abiecta hominis facie, leoninam superinduerunt, id est apertam malitiam & crudelitatem. Habent igitur os non iam humanum, sed leoninum: & priusquam loquantur rugiunt, eo verò in rugitu sequentia emittūtur. *Et de ore eorum procedit ignis & fumus & sulphur,* id est, ex eorum ore prodeunt impiissimi vanissimi impurissimi ac denique fœtidissimi sermones, quorum typus sunt ignis & sulphur, vt prædictum est: fumus autem, vanitatis siue vanæ ac superbæ iactantiæ typus est. *Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne & de fumo, & sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum.* id est impietatis igne hominum non modica pars occisa est, atque fumo vanitatis ac sulphure immūditie occisa dicitur, id est periit acquiescens Antichristis, eorumque impietatem mendacia, & immunditias imitata. *Potestas enim equorū in* ore

ore eorum est, & in caudis eorum. Nã caudæ eorum similes serpentibus habentes capita, & in his nocent. Nocendi potestas in primis in ore eorum dicitur, eò quòd blandè sese insinuant, & quasi serpentum instar assentantur. Et hunc in modum ab initio nocent, sed postremo loco siue in recessu cauda feriunt venenata ac mortifera. Potestas igitur in ore, nocumẽti à primo statim exordio typus est. In cauda autem serpentis, id est exitij & nocumenti postremi, mortiferi ac venenatissimi. Ad hæc capita habere dicuntur in caudis, id est pseudoprophetiæ ac dæmoniorum doctrinæ magistros & doctores, qui inter Antichristos capita, aut si mauis, capitales dicuntur, & ideo nocentiores inferioribus. Quam ob rem in his nocere dicũtur, quasi dicat multo amplius & crudeliꝰ aliis nocere. Porrò si percõteris an tũc illi soli peribũt q ab Antichristis seducti erunt, huic satisfacit quæstioni sequẽs textus, licet suppresse ac tacite, alioqui huius textus intelligẽtiã assequi nullatenus quispiã potest. Vnde in fine textus subaudiẽdũ est, peribũt,

Feriunt mortifera cauda hæretici.

nes locustarum similes equis paratis in prælium. Id est, hæretici per locustas designati, equis sunt persimiles, &c. id est, fortes & veloces ad veritatem impugnandam, & ad hoc semper parati, quia eorum animus semper contentiosus est, & ad bellum parati sunt, id est ad contentiones, lites, rixas, diuisiones, &cætera. *Et super capita eorum tanquam coronæ similes auro.* Coronam suprà diximus victoriæ typum esse quia verò hæretici etsi nunquam vincant, neque etiam se victos fatentur aut agnoscunt, tamen plerunque sese victores iactitant: hac de re super capita coronas gestare videntur, auro quidem persimiles, non autem aureas, quia pietatis habentes speciem, eius abnegant virtutem. 1. Timo. 2. *Et facies earum tanquam facies hominum.* Faciem habet hominis, qui humanitatem præ se fert, cuius sermones & opera rationi videntur conformia, à magna etiam profecta prudentia huiusmodi non paucis videbuntur

Equis persimiles hæretici.

Faciẽ habere hominis.

buntur hæreticorum sermones & opera: quamobrem faciem hominis habere dicuntur. *Et habebant capillos sicut capillos mulierum.* Hi capilli effœminatam eorum denotant mollitiem. typi enim sunt animi ac morum effœminatorum, ac omnis carnis immunditiæ, quæ inter eos non secus abundat, quàm in oceano vastissimæ aquæ. *Et dentes earum sicut dentes leonum erant.* Supremæ crudelitatis typus sunt leonini dentes, vocacitatis quoque ac rapacitatis, quasi igitur dicat: Sunt crudeles, voraces, ac rapaces, quia eorum doctrina animas laniat ac vorat. Dentes leonum præterea fœtere ferunt nonnulli. Sic & eorum doctrina fœtida & mortifera est. *Et habebant loricas ferreas.* Lorica ferrea nonnunquã bonam, nonnunquam malam sumitur in partem. In iustus quidem typus est constantiæ in veritate & iustitia, in impiis verò deploratæ & obstinatæ malitiæ, iniustitiæ & impietatis. Quid autem omni in malo his hæreticis & locustis obstinatius? Et

Mulierũ capilli quid significent.

Obstinati hæretici.

non iniuria equidem. Nam formalis ratio hæresis est, vt vnà sint pertinacia & obstinatio: alioqui nullus est hæreticus censendus. Cum itaque hæretici præcordia habeant obdurata, hac de re iure loricas dicũtur habere ferreas.

Null⁹ cẽsendus hæretic⁹ nisi obstinat⁹ & pertinax fuerit.

Et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum. Alæ sunt ea quibus auium corpora in sublime ferũtur, vnde typus sunt eorũ quibus execrandæ illæ locustæ mouentur, seipsas plus æquo extollentes, & nil non audentes. Vox autem illa magna tantique impetus, præpotentem fortemque designat assertionẽ. Quòd subinde dicatur sicut vox curruum & equorum multorum, &c. caussa est, quia quemadmodũ curruum & equorum ad bellũ præparata multitudo, ob diuersarũ rotarũ impetum variis resonat stridoribus, adunata tamen & collecta in aduersarios fertur & properat: sic & hæreticorum synagoga. Quanquam enim in disceptationibus & sententiis sint discordes (vt in multis verissimum est deprehendere) in hoc vnum tamen toti ac concordes feruntur, vt ecclesiam impu-

Hæreticorũ synagoga curruũ & rotarũ impetui cõparata.

impugnent, ac veritatem. *Et habebant caudas similes scorpionum.* Quare has habere dicantur caudas, ratio superius data est: potior autem sequitur: *Et aculei erant in caudis earum.* Quia etsi blandi sint in facie, intoxicata tamẽ ac virulẽta cauda lethaliter pungunt. Cauda enim finis & exitus est figura. *Et potestas earum nocere hominibus mẽsibus quinque,* Id est toto vitæ tẽpore, quæ quinque continetur ætatibus, infantia scilicet, pueritia, adolescentia, iuuentute, & senectute. *Et habebãt sup se regẽ abyssi, cui Hebraicè abaddon, Græcè autẽ, apollyon, & Latinè nomen habẽs exterminãs.* Quasi dicat, omnium locustarum & hæreticorum rex est diabolus, qui abaddon dicitur, quia abad Hebraicè perdere significat: & sic abaddõ perditionem siue perdentem signat. Cum itaque diabolus secũ omnes perdere exoptet, aptè equidem hunc in modũ appellatur. Et ἀπολλύων, quod eiusdẽ est significationis. Perdentiũ ergo & perditorum hominum nomen est perdẽs.

Quinque hominis ætates.

Hæreticorum rex, diabolus.

Secunda pars capitis.

VÆ vnũ abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ post hæc. Quasi dicat, postquam de primo væ, siue de prima maledictione dictum est: superest vt de aliis duabus maledictionibus dicamus. Primùm væ siquidem abiit, id est declaratum est. Secundum verò sub sexta tuba declarandum sequitur. *Et sextus angelus tuba cecinit, & audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei.* Quia præcedenti in capite à trium angelorum vocibus tuba canituris vę in terra habitantibus declamatum est, iamque de primo disseruimus sub quinta tuba, superest modò de secundo dicendum, sexto canente angelo. In primis, quia væ aliquid execrantis est interiectio: mirumque in modum execranda significat, postcaquam de execranda hæreticorum persecutione & sæuitia habitus est sermo, qui quidem locustis prædictis significabãtur: nunc sub aliis typis de iisdem sentiendum argumentum effertur.

Væ execrantis interiectio.

Sed to-

Sed eo in tempore quo ſextus angelus tuba cecinit, id eſt miniſtris verbi dei ſyncere, pure, ac demum conſtanter prædicantibus, ſub ſexti apertiõe ſigilli audita eſt vox vna, ad angelũ tuba canẽtem directa, id eſt ad vniuerſos tunc ſyncerè verbum dei prædicantes. Hæc autem vox ex quatuor cornibus altaris aurei procedit. Altare quidem aureum ſuperius Chriſtum ſignificare diximus, ſuper quod ſacrificia noſtra deo offerre debemus. Verè inquam aureum, tum ob eius diuinitatum aſſiſtentem, tum ob eximiam charitatem. Quid autem eſt procedere ex quatuor eius cornibꝰ? Eſt profectò à quatuor emanare euangeliis Chriſti, quæ ob eam cauſſam cornua dicuntur, eò quòd his contra infideles & Iudæos pugnamus. Horum autem quatuor vna vox dicitur, quia inter eos ſumma eſt concordia. Dicuntur inſuper cornua altaris aurei, quia ab eo reuelata, & de eo. Hanc verò vocẽ veriſſimã fore probat. *Quod eſt ante oculos dei.* Quia altare illud, Chriſtus

Aureũ altare Chriſtus.

Euãgelia 4. cornua quare dicta.

ſcilicet eſt deo pergratus, igitur & vox procedens à ſuis cornibus vera eſt ac fidelis, cũ deo placeat, ac ille qui reuelat, & de quo reuelatur. Alio ſiquidem modo ante oculos dei eſſe dici poteſt, quia altare eſt propitiationis, & ſemper aſſiſtit iugiter interpellans pro nobis. Ad Rom. 8. Quid vero hæc vox diceret, ſequitur. *Dicentem ſexto angelo qui habebat tubã*, Id eſt vniuerſis prædicatoribus, qui ſub ſexti apertione ſigilli prædicabant: *Solue quatuor angelos qui alligati ſunt in magno fluuio Euphrate*. i. denuncia ſolutos aut cito ſoluendos eos dæmones, qui quatuor dicunt, quia à quatuor mundi partibus adueniente Antichriſto in fideles maxime ſæuient. Dicuntur præterea in magno fluuio Euphrate alligati: quod non vacat myſterio. Nam cũ in Chriſti mortẽ baptizati ſumus, & conſepulti per baptiſmum, infirmato quidem peccati originalis fomite: tunc per baptiſma refrenantur ac coercentur, ne planè vim ſuam in fideles exerant. Hæc autem ſolutio adueniente Antichriſto fiet, quia tunc maxime numeroſa erit hæretico-

Infirmatæ diaboli vires p baptiſmũ

hæretico-

hæreticorum multitudo. Hinc subdit, *Et soluti sunt quatuor angeli,* dei scilicet permissione, qui hæreses suboriri sinit: vt qui probati sunt, manifesti fiant. Vnde solutio, permissio dei dicitur, quo non permittente nullatenus nobis nocere possunt. *Qui parati erant in horam, diem, mensem, & annum, vt occiderent tertiam partem hominum.* Id est, omni tempore parati & præstò sunt dæmones, suggestione & Antichristi ministerio & opera, prauis doctrinis tertiam occidere hominum partem, veros scilicet & fideles Christianos, qui quidem vix tertiam efficiũt hominum partem: quia multi vocati, pauci verò sunt electi. *Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia.* Finitus hic etiam numerus infiniti loco vsurpatur tum equorum tũ equitum: Equi autem sunt hæretici, omnesque tyranni & impij, quibus insidẽt dæmones, qui illorũ equites dicuntur. Horum profectò ingens est numerus. Neque videtur iste equestris exercitus aliud esse à quatuor solutis angelis, qui pro omnibus malis angelis sumuntur: qui adeo permitti-

Dæmões semp paratı ad homines pdendos.

Hæreticis velut equis insidẽt dæmones.

tur per quatuor mundi partes homines seducere: & hac de caussa quatuor dicuntur, *Et audiui numerum eorum.* Prædictum scilicet intellexi numerũ.

Tertia pars.

ET ita vidi equos in visione. Hæreticos scilicet & Antichristos. *Et qui sedebant super eos* Sessores dæmones, *Habebãt loricas igneas, & hyacinthinas & sulphureas.* Lorica siue thorax munimentum est pectoris. Quando quidẽ sumitur in bonã partem, typus est iustitię: & ecõtrario quãdo in malã, iniustitiæ, sicut hoc loco ꝓ iniustitia sumitur. Est igitur sessorũ thorax iniustitia ipsa, in qua obdurati ac pertinaces sunt. Ipsa autẽ triplex est, ignea. s. hyacinthina, & sulphurea, cũ ignis impietatem (vt sæpenumero dictũ est) significet. Muniũt itaq; pectora sua, sessores tũ eos quibus insidẽt, eis cõsentiendo, & sese illis accõmodando, primo quidem iniustitia per thoracem designata, deinde impietate per ignem adumbrata. Sed præterea hyacinthina dicitur propter cælestis iustitiæ simulationem

Lorica dupliciter sumitur.

nem

nem. Nam hyacinthus cæli habere similitudinem perhibetur. Cum verò sinistram sumitur in partem, typus est hypocriseos & simulatæ charitatis. Cũ verò in bonam, veritatis typus est ac charitatis, eò quòd gemma sit aurei coloris: & hoc sensu manus sponsi Cantic. 5. hyacinthis plenæ dicuntur. Secundum verò priorem acceptionem lorica dicitur hyacinthina propter simulationem, sicut in instituto: quandoquidem angelus satanæ transfert se in angelum lucis. Sulphurea demum quoque dicitur, cum sulphur fœtidum sit, ac quod citissime inflammatum & succensum, omnis spurcitiæ carnis ac immundæ doctrinæ figura est. Hi itaque sessores, dæmones scilicet, hunc in modum armati, equis insidere dicuntur, id est Antichristis & hæreticis, quia eos in prædictis imitantur, in iniustitia scilicet, impietate, hypocrisi, & demum carnis fœditate. *Et capita equorum erant tanquam capita leonum,* Id est hæretici & tyranni per equos designati capita habent leonũ instar elata ad deuorandos ac laniandos pios

Hyacint duplicem habet significationem.*

Sulphur fœditatis typus.

Leoninā tyrāni & hæretici habent faciem.

fideles, simplicesque Christianos. Prius quidem cum locustæ essent, habebant & caput & faciem veluti homines, quia eorum dicta nonnihil præ se ferebant rationis: sed procedente tempore, abiecta hominis facie, leoninam superinduerunt, id est apertam malitiam & crudelitatem. Habent igitur os non iam humanum, sed leoninum: & priusquam loquantur rugiunt, eo verò in rugitu sequentia emittũtur. *Et de ore eorum procedit ignis & fumus & sulphur,* id est, ex eorum ore prodeunt impiissimi vanissimi impurissimi ac denique fœtidissimi sermones, quorum typus sunt ignis & sulphur, vt prædictum est: fumus autem, vanitatis siue vanæ ac superbæ iactantiæ typus est. *Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne & de fumo, & sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum.* id est impietatis igne hominum non modica pars occisa est, atque fumo vanitatis ac sulphure immũditie occisa dicitur, id est periit acquiescens Antichristis, eorumque impietatem mendacia, & immunditias imitata. *Potestas enim equorũ in*

ore

ore eorum est, & in caudis eorum. Nã caudæ eorum similes serpentibus habentes capita, & in his nocent. Nocendi potestas in primis in ore eorum dicitur, eò quòd blandè sese insinuant, & quasi serpentum instar assentantur. Et hunc in modum ab initio nocent, sed postremo loco siue in recessu cauda feriunt venenata ac mortifera. Potestas igitur in ore, nocuméti à primo statim exordio typus est. In cauda autem serpentis, id est exitij & nocumenti postremi, mortiferi ac venenatissimi. Ad hæc capita habere dicuntur in caudis, id est pseudoprophetiæ ac dæmoniorum doctrinæ magistros & doctores, qui inter Antichristos capita, aut si mauis, capitales dicuntur, & ideo nocentiores inferioribus. Quam ob rem in his nocere dicũtur, quasi dicat multo amplius & crudeli⁹ aliis nocere. Porrò si percõteris an tũc illi soli peribũt q ab Antichristis seducti erunt, huic satisfacit quæstioni sequẽs textus, licet suppresse ac tacite, alioqui huius textus intelligẽtiã assequi nullatenus quispiã potest. Vnde in fine textus subaudiẽdũ est, peribũt,

Feriunt mortifera caudæ hæretici.

quia truncatus eſt ſermo, *Et cæteri homines*.i.alij à præſcriptis,licet Chriſtiani ĩter cęteros nominẽtur,& à fide nõ deſciuerint,aut ab Antichriſtis intoxicati minimè fuerint.Vnde ſequitur, *Qui non ſunt occiſi his plagis*. Ab ore.ſ.& equorũ caudis, quia aliis ſunt coinquinati ſordibus & peccatis, idololatria. ſ. homicidio,& furto,vt ſequitur. *Neq; reſipuerint ab operibus manuũ ſuarũ,vt non adorarent dæmonia, & ſimulachra aurea,argẽtea & ærea,& lapidea & lignea,quæ neque videre neque audire neq; ambulare poſſunt*. Primo in loco infideles arguit,qui in infidelitate permanẽt, & nunquam guſtauerunt donum dei, & gratiam baptiſmalem, & abſq; deo vero fuerunt muta adorantes ſimulachra.Secundò alia corũ arguit ſcelera, prout ſequitur, *Et non egerunt pœnitẽtiã ab homicidiis ſuis*. Corporalibus.ſ.& ſpiritualibus. *Neque à veneficiis ſuis,neque à fornicatione ſua,neque à furtis ſuis*. Hæc ſunt communia ſcelera ac flagitia propter quæ peribunt multi, etſi à fide nõ diſcedant.Horum itaque compendioſa concluſio oſtendit eos non modò damna-

Multi quãquam non ſint aut hæretici aut infideles damnãdi.

Fideles damnãdi.

damnatum ac perditum iri qui ab hæreticis fallentur, ſed & eos omnes qui finali in impœnitentia morientur.

Noni capitis finis.

CAPVT X.

Summariè obſeruanda.

Primùm angelus fortis nube amictus ac tonitruorum vox deſcribitur.
Secundò eiuſdem cæleſtis angeli iuſiurandum.
Demum libelli in angeli manus exiſtentis à Ioanne deuoratio.



Et vidi alium angelũ fortem deſcẽdentẽ de cælo. Ne Antichriſtis aduerſus Chriſtianos plꝰæquo ſęuiétibꝰ, ac ĩſaniẽtibꝰ multiſq́; chriſtianis hanc ob cauſſã à fide diſcedẽtibus, deus optimus ſuos dereliquiſſe videatur, hinc ne animum

despondeant, per angelum fortem de cælo missum auxilium ac subsidiũ pollicetur. Hic porrò angelus Christus est, qui maximè illo Antichristi tempore ac pseudoapostolorum dabit verbum euangelizantibus virtute multa, os, & sapientiam. Est igitur magni consilij angelus, qui ab aliis præscriptis, apostaticis scilicet, longè profectò alius ac diuersus multo dicitur. Fortis quidem, quia dei virtus & omnipotentia, rexque gloriæ, fortis & potens in prælio. Portat enim omnia verbo virtutis suæ, interficietque Antichristum spiritu oris sui, & quòd fortis vsq; à deo sit, est, quia descendit de cælo, & exiuit à patre, & venit in mundum, nostram assumens naturam, quam assumendo, nube amictus dicitur, vt sequitur, *Amictum nube*, id est humanitate. Quemadmodum enim nubes tegit solẽ, ita illa deitatem, quam nullus vidit, nec videre potest. Hinc prædixerat propheta. Solem nube tegam, Eze. 32. *Et iris in capite eius.* Vt in superiorib⁹ diximus, iris siue cælestis arcus, propitiationis & fœderis est signũ. Caput autẽ Christi de⁹. 1. Corint. 1

Christus magni cõsilij angelus.

Tegit humanitas diuinitatẽ

1. Corint. 11. Dicitur itaque iris esse in capite eius, quia deus erat in Christo mũdũ recõcilians sibi.q.igitur.d.Christũ mundũ siue hominẽ recõciliasse,nõ quia hõ,quia hõ pur⁹satisfacere nõ potuit,sed quia simul deus.Iris ideo est in capite,quia recõciliatio facta est ꝓpter diuinitatẽ vnione hypostatica humanitati cõiunctam. *Et facies eius erat vt sol.* Quia quemadmodũ solis est natura mũdũ illuminare corporali lumine, ita Christi est illuminare omnẽ hominẽ venientẽ in hunc mundum fidei lumine.huiusmodi itaq; Antichristi tẽpore futurus dicit̃,vt veri ac fideles Christiani semper ab eo illuminari aduersus impostorũ tenebras certò sperent. *Et pedes eius tanquam columna ignis.* Cum locum, illũ scilicet,pedes eius aurichalco similes erant,explicaremus,dixim⁹ pios ac sanctos esse eius affectus. Hinc maximè illi fidendũ,cuius boni, ardentes,ac demum immutabiles sunt affect⁹. Talis prout est Christi erga sui nominis confessores affectus. Columna enim soliditatis ac ĩmutabilitatis typ⁹ est. Nil igitur omnino inter tyrannos

Christi est illuminare.

pertim ascendũ, quia affectus Christi vt suos liberet, igneus, vehemẽs ac immutabilis est. *Et habebat in manu sua libellũ apertũ*. i. in Christi sitũ est potestate, vt diuinæ sciẽtiæ libellũ aperiat, mysteria quæque diuina reuelet, veritatẽq; edoceat. Quã ob rẽ impostricis doctrinę ac pseudoapostolorum tempore ab eo maximè postulanda atq; expectãda est veritas, cũ libellũ apertũ. i. omniũ habeat cognitionẽ, & ea cuiuslibet detegat, Inquires forsan, Quibus vult hũc librũ apertè manifestare, an omnibus vniuersumq; per orbẽ? Responsio sequitur.

Veritas à deo expectanda.

Et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram. Vtroq; pede omnes Christi significãtur affectus, quib⁹ afficitur iis q sunt super mare, id est habitantibus in insulis, & aliis habitantibus super terrã, & sic deniq; vniuersis, vt vbique eius prædicetur euangeliũ. Id verò potissimum circa mundi finẽ fiet, sicut Matth. 24. dicitur: Cum prædicatũ fuerit euãgeliũ in vniuerso orbe (quo ad efficaciã) tũc erit cõsummatio. Quia verò ij qui ad Christũ cõuertuntur, eius scabellum suppedaneũ fiunt, &c.

Vult vbique Christus euãgeliũ prædicari.

fiunt,& tunc de quauis natione cõuertentur nõnulli:ideo pedẽ ponere dicetur super mare & terrã,sicut in ecclesię initio posuit,quãdo in omnẽ terrã exiuit apostolorũ sonus.& ad hoc subiũgit institutũ. *Et clamauit voce magna, queãdmodũ cũ leo rugit*.i. vt omnes gẽtes apostolorũ ministerio ad eũ cõuerterẽtur,atq; aliorũ prædicatorũ.Clamauit,quia verbi dei ministros clamare fecit:sicut cũ leo rugit.i.magna virtute & forti,prout in actis apostolorũ dicitur ꝙ virtute magna reddebãt apostoli testimoniũ resurrectionis Iesu Christi. De quo rugitu dicitur Amos.i.Dñs de Siõ rugiet:& cũ leo rugiet, quis nõ timebit? Ille est Christ' leo de tribu Iuda,qui prædã tũ ex Iudęis tũ ex gẽtib' esuriẽs rugiit, iuxta Iacob prophetiam Gene.49.Hic autẽ rugitus vbiq; personuit ac auditus fuit,nedũ in terra, sed & in insulis,sed id apostolorũ & verbi dei prędicatorũ ministerio,vt sequitur. *Christus vt leo p̃dam tulit.* *Et cum clamasset, locuta sunt septẽ tonitrua voces suas*, i.Post Christi benignam ac perdulcem prædicationem sequuta est apostolorũ prædicatio, quæ fuit toni-

trui instar. ipsum siquidem horrendum est, vt Psal. 130. dicitur, A voce tonitrui tui formidabunt. quã ob rem tonitrũ terribilium dei iudiciorum typus est: vnde dominus exercitum regis Assyriorum puniturus dicebat Esa. 29. quòd in tonitruo eorum visitaret multitudinem. Et ad hoc facit quod Ecclesiastici 43. habetur, Vox tonitrui eius verberauit terram. Tonitrua igitur dei iudicia sunt. Voces apostolorum ac prædicationes sic tonitrua dicuntur, quia iudicij terrorem prædicabant. Septem autem dicuntur, propter septiformem spiritussancti gratiam, qua repleti erãt hæc dei prædicantes iudicia. Quid vero locuti sunt sequitur: *Et cum locutã fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram, & audiui vocẽ de cælo dicentẽ mihi, Signa quæ locuta sunt septẽ tonitrua, & noli ea scribere.* Hoc ex loco habes apostolos iudiciorum dei aliorumque mysteriorum explanationem prædicantes, multo perfectius attigisse, eaque intellexisse, quàm in mediũ ac lucẽ protulerint: sicut Ioannes quid locuta sint

Dei iudicia tonitrua sunt.

Multo pfecti⁹ intellexerũt apostoli mysteria quã scripserint.

sint tonitrua, Christo reuelante intellexit, sed ea scribere est prohibitus, tũ propter incredulorum cõtemptum & blasphemiã, sicut dixerat Christus sanctum non dandũ esse canibus. Itaque dei arcana ea sunt veris Christianis propalãda industria, vt infidelibus ac minus idoneis abscõdita maneãt, tum propter sequentiũ cauendã desidiam, tum propter legentium inscitiã ac imbecillitatẽ. ad Heb. 5. Et sic Ioãni & apostolis prohibuit spiritussanctus quæ verius ac perfectius intellexerunt scribere, rationes propter prædictas.

Secunda pars.

ET angelus quem vidi stantẽ super mare & super terram, leuauit manũ suam ad cælũ, & iurauit per viuentẽ in secula seculorũ, qui creauit cælũ, & ea quæ in eo sunt & terrã, & ea quæ in ea sunt, & mare, & ea quæ in eo sunt, quia tẽpus nõ erit amplius.

Vt nobis dictorũ suorũ fidẽ faciat Christus, iurãtiũ obseruato more manũ suam ad cælũ leuauit, ostẽdẽs cũ iurãdũ sit, p solũ deũ iurandũ, nõ autẽ per creaturã

Per deũ iurãdũ, nõ per creaturas.

Perdeum iurãdum, non per creaturas. in se,quia iuramentũ species est cultus latriç,qui deo soli debetur:quã de re dixerat Christus: Nolite iurare neq; per cælum,&c. sed per deũ, qu est in cęlo, quia dominus est cæli:terræ & maris & omniũ quæ in eis sunt. Cũ enim p maiorẽ iurandũ sit, & omnibus creaturis multo maior sit:concludẽdũ est per eũ esse iurandũ,& nõ per creaturam,cum ipsa interim caussa iuramentũ exigit. Quid tandẽ iurauit? Quia tempus non erit amplius,post prædictas scilicet psecutiones nil amplius superesse,quàm Christi ad iudiciũ aduent⁹,quo absoluto tẽpus nõ erit amplius. i. mutabilitas cessabit temporũ. *Sed in diebus vocis septimi angeli cũ cœperit tuba canere,cõsummabitur mysteriũ dei,sicut euãgelizauit per seruos suos prophetas,* Tẽpus illud in quo debet septimus angelus tuba canere,tũ in propheticis tũ in apostolicis literis nouissimũ dicitur tẽpus,nouissimi dies,& nouissima hora,& tũc consummandũ est mysterium Christi, iudiciũ scilicet de bonorũ remunerãtione, & malorũ punitione.

Nouissimũ tẽpus quid.

Tertia pars.

Et

ET audiui vocē de cælo iterū loquentem mecū, & dicētē, Vade & accipe librū apertū de manu angeli stantis supra mare & super terrā. Postquā futura sub septē angelis tuba canentibus declarauit ad seculi cōsummationem vsq;, nūc denique Ioānes typū gerit verbi dei ministrorū, quibus quid eis opus sit perpulchré describitur, vt verbū dei syncere annūciēt, ac priusquā illius ministeriū suscipiāt. Quæ autē eis sint necessaria, præsenti in cōtextu declarātur. in primis verbi dei ministrorū typus Ioānis audit vocē de cælo. hæc porrò vox, mōtionis diuinæ & cælestis eruditionis typus est, quæ quidē quouis in verbi dei ministro summopere necessaria est: neque enim humana sufficit. facilè enim à veritate abducitur, q ipsam ab hominis iudicio metitur veritatē. In mysteriorū dei inquisitione, nō homo, sed ab homine de⁹ inquirēd⁹ est. Secūdo dicitur, Vade & accipe librū apertum, &c. Libellus apertus in manu angeli, id est Christi, diuinę sciētię ac prę sciētię secretū est. Et hunc librū verbi dei minister à Christo petere debet de manu

Quæ vero verbi dei ministro necessaria sint.

angeli, eius scilicet apertum dono & merito, ac eius spiritu misso declaratum. Et quia eius est aperire, & apertũ tradere, vt prædictum est, ideo ex animo orandus est deus pro syncera sanctæ scripturæ interpretatione, sicut Iacobi. 1. dicitur: Si quis indiget sapiẽtia, postulet à deo, Idque peruium est ex diuini Ioannis sequente facto. *Et abij ad angelum, ei dicẽs, vt daret mihi librũ.* Petiit librũ apertũ, hoc ipso facto ostendens synceram ac puram sacræ scripturæ enucleationem a deo esse efflagitandã, ac postmodum expectãdam, vt sequitur: *Et dixit mihi, accipe librũ, & deuora illũ.* Hæc tertia est verbi dei ministri cõditio qua illũ iubetur deuorare librum, id est diligenter ac sedulò meditari, & cum non modica intelligendi auiditate percipere. Est igitur libri aperti deuoratio, piæ ac sedulæ scripturarum meditationis & studij typus, ad cognoscendam fidei veritatem. *Et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Et accepi librum de manu angeli, & deuoraui illum, & erat*

Expetenda à deo sacræ scripturæ interpretatio.

Quid librum vorare.

in ore

meo dulce tanquam mel: & cum deuorassem, amaricatus est venter meus. Effectus verbi Dei in eiusdem ministro significatur si librum deuorarit, vt prædictum est. Duplex autem est. Vnus quidem in ore, & alius in vẽtre. In ore dulcedo, in ventre autem promittitur amaritudo. Sed quid os? Quid etiam venter? Os, prædicationis & locutionis typus est: venter autem cordis. Vnde Hiere. 4. Ventrem meum doleo, & sensus cordis mei turbati sunt in me. Et Prouer. 22. Fili accipe sapientiam, quæ tibi pulchra erit cum in vẽtre tuo acceperis, id est corde siue mente. Habet igitur minister verbi Dei dulcedinem in ore, dũ prædicat verbum Dei. Quid quæso ei suauius qui veritatem nouit, sermone veritatis? Hinc Psal. 118. dicitur. Quàm dulcia faucibus meis eloquia, tua super mel ori meo. Sed quónam pacto in vẽtre amaricatio sequitur, & à Dei sermone proficiscitur? Hæc amaricatio cordis zelus quidam Dei est amaritudine plenus, quem parit veritatis notitia. Sic Ezechiel deuorato libro in

Quid os. Quid venter.

indignatione spiritus abiit, amarus & zelans. Ezechie.3. Et hanc cordis amaricationem habet minister verbi Dei, quem zelus domus Dei comedit. Is autem comeditur zelo Dei (inquit Augustinus) qui omnia quæ videt peruersa, satagit cum amaritudine emendare: & si non potest, flens recedit. Vnde cordis amaricatio sequitur. Habitis ergo his conditionibus minister verbi Dei idoneus est ad prædicandũ & ad docendum, & ad id mittendus est., vt sequitur. *Et dixit mihi: oportet te iterum prophetare gentibus & populis & linguis, & regibus multis.* Deuorato libro missus est ad prophetandum, non antea: quia nemo ad prędicandum & docendum verbum Dei idoneus est, nisi prius scripturę librum deuorarit. Quia verò addit iterum prophetandum, designat euangelium circa mundi finem per orbem denuo prędicandũ: & tunc erit consummatio, vt Matth. 24. capite dicitur.

Quid sit dei zelo comedi.

Quis ad prædicationẽ idoneus.

Caput

CAPVT VNDECIMVM.

Summariè obseruanda.

Primũ de templi & altaris dimensione.
Secundò de duobus testibus, eorundem potestate, ac nece.
Demum sub septimæ tubæ clangore iudicij futuri tempus describitur.



T datus est mihi calamus similis virgæ. Hic calamus verbum Dei est, quo eius ministri metiũtur omnia, id est quid de omnibus sentiendũ sit, diiudicant. Maximè verò de sequentibus diiudicandum illis est. *Et dictum est mihi.* Cum Ioannes typus sit ministrorum verbi Dei, hoc in loco quod ei dictum est, omnibus etiam illis dicitur, ac à domino iubetur. Sed quid? *Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.* Sensus huiusmodi est. Pręcipio tibi

Verbo dei metiendi fideles. ô Dei verbi minister, vt in primis de tẽplo, id est ecclesia, altari, id est Christo, & de adorantibus in eo, id est vniuersis veris fidelibus, ipsissimo Dei verbo veluti calamo definias, & annũcies populo, qui quidẽ verum Dei efficit templum, nõ quidem materiale, sed multo nobilius, spirituale scilicet. Altare quidem super quod omnia nostra sunt offerenda sacrificia, Christus est: veri autem fideles sunt, nõ qui solo nomine Christiani aut fideles dici gestiunt, aut numero, sed qui & merito sunt. *Qui veri sint fideles.* Hæc autem ex purissimo dei verbo iudicare, illa est metiri ipso calamo, qui est verbum Dei. Similis autem virgæ dicitur, tum ob sui rectitudinẽ, tum ob increpandi hominúmque corrigendi vitia libertatem. Valet enim ad docendum, arguendum, corripiendum, & erudiendum. *Verbum dei quare virgæ simile.* Sed quid surgere iubetur Ioannes priusquam hæc metiatur? nisi quòd fide & operibus ac conuersatione in cœlum erectus esse debet, ac quilibet verbi Dei minister? *Atrium autem quod est intra templum, eiice foras.* Atrium templo est

est proximum, sed non est de templo. Sic per atrium designantur hæretici, qui quidem reuera sunt extra ecclesiã, sua autem sententia & opinione de Christi sunt ecclesia. Ideo enim atriũ illud intra templum esse dicitur, quia & numero & merito sese de ecclesia Christi esse autumant. sunt tamen eiiciendi foras, id est declarandi non esse de Christi ecclesia. Itaque iubetur Ioannes eiicere, id est promulgare. Est igitur verbi Dei ministri tales conuincere foras exisse, & ad Christi corpus nullatenus pertinere. Et quia ad eius corpus minime pertinent, sequitur inhibitio. *Ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus.* Id est, Cum ita sit quòd hi hæretici inter gentes & infideles annumerentur, & nihil ad nos de iis quæ foris sunt, eis est denegandum verbum Dei, quia non licet sanctum dare canibus. Et sic ministris verbi Dei prohibet metiri eos, aut verbum Dei eis proponere, sicut iubet & Paulus post vnam & alteram correptionem hæreticum hominẽ vitari. Addit præterea rationem ob quã

Extra ecclesiam sunt hæretici.

Verbũ dei hæreticis non proponendũ.

cis denegandum est verbum Dei. *Et ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Ciuitas sancta ecclesia Christi est, quam calcare hæretici dicuntur: quia eā & impugnant & cōtemnunt. Maximè verò Antichristi tēpore eam impugnabunt ac calcabunt, qui tribus annis cū dimidiato regnaturus est. Quamobrem dicitur mensibus quadraginta duobus: quod idem est ac si diceret, tribus annis cum dimidio sunt eam calcaturi. Idem verò est hoc tempus cum diebus mille ducentis nonaginta, de quibus Danie. 12. Est igitur hic intelligendus locus de Antichristiana sæuitia & persecutione, quæ tanta futura est, vt aliæ quæuis illius habita ratione nullæ videātur, nimirum qualis nulla antea fuerit, nec postea futura est, vt Matth. 24. prædixit Christus. Sed nunquid suam ecclesiam Christus auxilio destituet? Absit. Aduersus enim pseudoapostolos veros mittet & synceros prophetas, vt sequitur.

Quot annis sit regnaturus Antichristus.

Caput

Secunda pars.

ET *dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.* Contra pseudoapostolos & impostores suscitabit dominus duos testes (vt quidam volunt) Heliam & Enoch. De Helia satis constat ex Malachiæ testimonio dicentis. Ecce ego mittam vobis Heliam prophetam antequam veniat dies domini magnus & horribilis, & conuertet corda patrum ad filios, & filiorũ corda ad patres. Sed de Enoch vsq; adeo ꝑ'ectè è scriptura deducitur testimoniũ, quáquã Heliæ instar translatus dicatur, ad hæc neutrum eorum mortuum esse, quã ob rem verisimile est hos duos esse quorũ hic meminit Ioannes. Possumus tamẽ dicere per illos duos vniuersitaté ministrorũ verbi Dei adũbrari, qui Antichristi tépore piè & religiose prædicabũt. Et quia ꝑpauci erũt pseudoapo stolis collati, aut illis adæquati, ideo solum duo dicuntur: quibus Christ⁹ os & sapientiã pollicetur quib⁹ nõ poterunt eorũ aduersarij resistere. Illo aũt

Helias et Enoch christi testes.

Helias et Enoch translati.

occidi. i. Si quis verbi Dei cursum præpedire voluerit, inhibens & auocans à prædicatione, eisque nocere multis argutiis aut calliditate, nihil prorsus efficiet, sed deuorabitur, id est summo cũ dedecore ab igne vincetur, scilicet Dei verbo ignito, quod procedet de ore eorum. Non enim poterunt resistere Antichristi spiritui qui in sanctis Dei prophetis loquetur, & sic deuorabuntur, electi quidem, dum veritatis sermone vincẽtes veniẽt ad dominum, & adorabunt eum ante pedes eorum: vt supra. 3. capite. Reprobi tunc pudefient & vincentur, non tamen deuorabuntur, corporaliter aut, occidentur. Hæc enim ad literam sumẽda nõ sunt, aliàs repugnare apostolico spũi ac euangelicæ mansuetudini viderentur. quapropter addit: Sic eum oportet occidi, gladio scilicet spiritus verbi Dei, & non materiali. *Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiensc ũq; voluerint.* Quo ad lite-

Verbum dei ignis dicitur.

Reprobi vincẽtur.

ram hæc sumi possunt, vt eorum ostendatur potestas, qua etiam corporaliter Antichristũ vincere poterunt plagis multis, licet ea non vtantur potestate. Hoc siquidẽ prædixit Ioãnes antequã ipsos testes à bestia, id est Antichristo occidendos describeret: ne quis arbitraretur ex Antichristi magis hoc proficisci virtute, quã ex Dei permissione. Alludit præterea ad id quod. 3. Reg. 17. & Iaco. 5. dicitur, de Helia sua oratione claudente & aperiente cælum; quasi dicat. Si hanc Helias habuit potestatẽ antequã in cælũ raptus esset, à fortiori hanc habebit ad Antichristũ confundendum delegatus. Etsi ignem de cælo descendere fecit ad Dei exurẽdos inimicos. 4. Reg. 1. ipsumq; verum ac vnicum deum ostendendum. 3. Regum. 18. quamobrem non poterit Antichristi tempore? Poterit quidem: sed minimè faciet: quia mansuetudinem obseruans euangelicam patietur, vt sequitur. *Et cum finierint testimoniũ suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersum eos bellum & vincet illos, & occidet eos.* Bestia ista Antichristus est: de qua

Helias ignem è cælo descendere fecit.

de qua infrà cap.13. quomodo ascédet de abysso vel mari Bellũ autẽ cõtradictio erit, q̃ primo disceptationibus fiet, deinde blanditiis, & illectamẽtis. sic verò haudquaquã suo vincet mendacio, sed Christi testes gladio vincent spũali: sicut dicit Paulus ꝙ Christus interficiet eũ spiritu oris sui. Ipse verò denique eos gladio vincet materiali, eos scilicet occidendo, ita vt idem sit vincere & occidere. *Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Aegyptus, vbi dominus eorum crucifixus est.* Occisi pro Christo in plateis dimittẽdi sũt insepulti, post semiquartũ diẽ suscitãdi. Tãta igitur crudelitate tyrãni in pios deseuiẽt, ꝙ eos sæpeliri nõ patiẽtur, tum vt canibus cæliq; auib⁹ escæ fiãt, tũ vt inhumata corpa triduũ iaceãt oĩ nationi spectaculo, & Christiani tãtæ tyrãnidis spectaculo à veritatis absterreãtur cõfessiõe. Ciuitas aũt magna in cui⁹ plateis iacebũt, ciuitas est *Hierusalẽ*, in qua crucifixũ dicit dominũ: in qua etiam Antichristus sedem est habiturus, ac in Dei tẽplo sessurus.

Tyrãnorum sæuitia.

Sodema autem & Aegyptus spiritualiter dicitur propter similium imitationem flagitiorum, quæ olim fiebant in Aegypto. sicut pij semen Ahrabæ dicuntur per imitationem, ita Israelitæ dicuntur, Sodomitæ, Gomorrhæi, Chananæi, & Amorrhæi. quia earum nationum crimina sectabantur. Esa. 1. & Ezech. 16. *Et videbunt de tribubus & populis & linguis & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumentis.* Hęc Deo ita permittente fiét, vt tandem ipsis resurgentibus omni nationi & regioni notum sit miraculum. *Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, & iucundabuntur & munera mittent adinuicem: quoniã hi duo prophetæ cruciauerunt eos qui habitabant super terram.* Hi habitantes super terram sunt qui addicti sunt terrenis cõcupiscentiis & voluptatibus, quos cruciarunt prophetæ, ipsorum carpentes flagitia ac manifestantes: vnde generabatur conscientiæ vermis in eis: & sic demum cruciabantur conscientiæ verme. Eo quidem & eodem modo

cruciare

cruciare dicitur prædicator obſtinatorum conſcientias. Quia igitur eos cruciauerant, congau lentes de nece prophetarum multiplici donorum munere ſeſe afficiunt : quo oſtenditur Antichriſtorũ execrabile pro teſtium Dei occiſione gaudium. *Et poſt tres dies & dimidiũ ſpiritus vitæ à Deo intrauit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos: & timor magnus cecidit ſuper eos qui viderunt eos.* Cum his occiſis arbitrabitur ſynagoga Antichriſti ſibi omnia proſperè & nullo obſtãte ceſſura, ſuſcitabit deus hos teſtes mortuos immittendo ſpiritum vitę: quod miraculoſe fiet : quia naturaliter ad cadauer nõ poteſt redire ſpiritus, vt dicit Pſalmiſta, Spiritus vadens & non rediens, naturaliter ſcilicet. His autem reſurgentibus magna pertimeſcentia ſuper veritatis hoſtes cadet, quia viderunt ac probarunt eos vere mortuos, quos tunc verè conſpicient ſuſcitatos: maximè autem propter id quod ſequitur. *Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem eis: Aſcendite huc. Et aſcenderunt in cœlum in nube: & viderunt*

Cruciat prædicator obſtinatorum animas.

Spũs ad cadauer naturaliter redire non poteſt.

eos inimici eorum. Ad non modicam Antichristorum ignominiā hęc fient. Sensibiliter & publicè vox Dei siue Christi audietur: magna inquam, ad inimicorum ingentem terrorem, illi persimilis qua Christus electis dicet: Venite benedicti patris mei, &c. Ad hanc autem vocem quæ imperij ratione habet, ascendēt in nube, sicut Christus: quia in morte Christi imitatores fuerunt. Et ad maiorem inimicorum terrorē quæ sequūtur signa fiēt. *Et in illa hora factus est terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit & occisa sunt terræmotu nomina hominū septem milia.* i. Septies mille homines. Licet omnes interpretes hæc exponant secundum sensum spiritalem siue mysticum, facta tamen mihi videntur exponenda esse secundum literalem sensum, & ita re ipsa futura. vt terræmotus vsque adeo futurus sit magnus, vt pars aliqua ciuitatis Hierusalem, de qua prius facta est mentio, cadat, & multi moriantur homines, quorum certus numerus pro incerto ponitur. *Et reliqui sunt in timorem missi, & dederunt gloriam.*

Vox Dei magna.

Terræmotus magnus futurus.

riam deo cæli. Id est hæc videntes multi ad fidem conuersi, Deo gloriam dederunt, præcedentium timore correpti. Ex quo satis liquet, præcedentia signa re ipsa futura: alioqui timore illorum non mouerentur isti nec conuerterentur. *Væ secundum abiit, & ecce væ tertium veniet cito.* Væ secundũ fuit ecclesiã persequente Antichristo, quo mortuo abiit secũdũ væ: & citò post illud veniet tertium væ, septimo scilicet canente tuba angelo.

Tertia pars.

ET septim⁹ angel⁹ tuba cecinit, & factæ sunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum est regnum huius mundi domini nostri & Christi eius, & regnabit in secula seculorum, Amen. Hic septimus angelus typus est omniũ fideliũ ministrorũ verbi Dei, q̃ sub.7.sigilli apertione verbũ sanctũ sunt syncere docturi, tẽpore videlicet medio inter Antichristi mortẽ, & vniuersale iudiciũ: quo tẽpore magna erit pax & tranquilli-

tas in ecclesia mediæ horæ silentio, supra cap. 7. figurata, quam pacem dentes viri sancti, & Antichristus tanto pudore contritos, in cælo, id est ecclesia militante, voce magna, id est maximo affectu dicturi sunt, Factum est regnum &c. quasi dicat. Gratias agimus Deo & Christo, qui spiritu oris sui interfecit Antichristum. cum quo prius plane non regnabat, Maiorem siquidem imperij partem suadente diabolo per tres annos cum dimidiato obtinebat Antichristus. Eo igitur debellato, factum est regnum huius mūdi domini nostri & Christi eius: Ita vt in toto regnet deus & Christus, qui prius in raris & paucis regnabat. Et non modo in ecclesia militante, sed etiam triumphante gratias & laudes (vt sequitur) referent. *Et vigintiquatuor seniores qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas.* Hi vigintiquatuor seniores omnium beatorum sanctorúmque ciuiū typum gerunt, qui in conspectu Dei esse dicuntur, id est Deo grati, & sedere,

Spiritu oris Christi interficiendus Antichristus.

dere, id est quiescere quiete æterna in sedibus, id est diuersis mãsionibus. Vt autẽ gratias agerent, ceciderunt in facies suas, id est adorantiũ habitũ præ se ferebant. Mos^ eius enim adorãtis est cadere in faciẽ suam, vt prędictũ est & sequitur. *Et adorauerunt deum dicentes, gratias tibi agim⁹ domine deus noster oĩpotens, qui es qui eras, & qui vẽturus es.* Tres hæ temporum differentiæ Dei sempiternitatẽ, quæ initio & fine caret, circũloquũtur. Et quia Dei proprium est esse, vt Exo. 3. dicitur: Ideo maximè ob suũ esse laudandus est. Est & insuper propter sequẽtia laudibus vehendus. *Quia accepisti virtutem tuam magnã, & regnasti.* Gratiarũ actionis præcipua caussa est, ꝙ semel deus optimus suam exeruerit virtutem debellatis diabolo & Antichristo, cunctísq; impietatibus finem imposuerit. Et sic regnare videtur, cuius nõ apparebat virtus: nec regnare cõspiciebatur, sed impij. Quam ob rem ꝑpetuò interim orant pij: Adueniat regnum tuũ. Quod quid quæso est aliud ꝗ orare vt radicitus euellantur impij, qui Christi occupant ac *Virt⁹ dei in quo demonstrata.*

vſurpare nituntur regnū, eiúſq; gloriā ſurripiunt? Tunc igitur in electis pfectè regnabit, quibus & dicere licebit: Regnū Dei intra vos eſt. Minimè aūt in reprobis (de quib⁹ ſequitur) eſt regnaturus. *Et iratæ ſunt gentes, & aduenit ira tua.* q. d. Exercuerunt gentes irā ſuam & tyrānidē in nobis te pmittēte, ſed hoc ad modicū tēpus. Nunc aūt incidit hora vt ira tua in gentes æternū duratura exardeſcat. *Et tēpus mortuorū iudicari.* Id eſt tēpus in quo mortui ſunt iudicandi. Videtur autē mortuorū nomine reprobos intelligi, ſicut infra. 20. ca. Nā pij in æternū viuūt, & non iudicantur. Ioā. 3. & 5. Et ad id facit ſequens textus, quia de iuſtis intelligitur. Et ſic è regione cenſendū videtur hunc priorē locū de reprobis ſolūmodo intelligi. *Et reddere mercedem ſeruis tuis prophetis & ſanctis timentibus nomen tuum, puſillis & magnis.* Merces bonā ſumitur in partē, quā debet reddere ſeruis ſuis, non propter ſeruitium aut operā ſimpliciter, ſed magis ppter pollicitation ē & liberalitatē, quia quicquid agim⁹, iam hoc Deo debitū eſt: &

Impū iudicantur, non autē pij.

Quomodo dicatur deus mercedē reddere.

ſic

ſic ſi remuneretur, donũ potius dicẽdũ videtur q̃ merces: niſi rationẽ ob oculos habeamus pollicitationis, quæ mercedis nomẽ induit. Reddet aũt primo in loco prophetis, quia hi ſunt à quib⁹ alij edocti ſunt ac ſapiunt. Deinde inferiorib⁹. Itẽ puſillis & magnis. i. perfectioribus & minus pfectis. Nomine aũt vniuerſali oẽs electos ſanctos vocat. i. Chriſti ſpũ ſanctificatos. *Et exterminandi eos qui corruperunt terrã.* Tẽpus inſtat in hac ſeptima ętate, ſeptimi apertione ſigilli, & ſeptima demũ ſonãte tuba, eos terrenos pdere hoĩes, q b⁹ hoc vnicũ fuit ſtudiũ, vt terrã vaſtã redderẽt, quò ſubinde ipſi ſoli regnarẽt: quibus pręterea nõ rarò in aĩo fuit vt proſcriberetur pietas, exularet iuſtitia, omnigenaq; morũ profligaretur honeſtas, ac demũ vt è ſuo regno ꝓpulſaretur Chriſtus. Tẽpus inquã aduenit quo huiuſmodi exterminatores terræ ac vaſtatores extermines ipſe & ꝑdas. En quæ in nouiſsimo væ futura ſunt, tribus væ tandẽ promulgatis.

Extermi-natorum terræ affe-ctus pra-ui.

Finis tertij libri, tertiaq; viſionis.

CAPVT XII.

Summariè obseruanda.

Primùm templum in cælo aperitur, & arca testamenti videtur.

Secundò ecclesia parturientis mulieris nomine, & draconis contra eam ac filium eius insidiæ describuntur.

Demum Michaelis aduersus draconem pugna & victoria. Et secundò de draconis insania in mulierem.

Incipit liber quart⁹, siue visio quarta.



ET apertum est templum Dei in cælo, & visa est arca testamenti eius in templo ei⁹. Quia præcedentia ad aduētum Christi secundum pertinebant, hæc verò ad primum: ideo commodius sumendum videtur capitis initium ab hac visione: quam iure optimo omnes annectunt alterius capitis conclusioni, quia verò ex præce-

dentibus minimè depēdet, ideo quot ſunt interpretes, tot ſũt interpretatio nes variç. Eſt igitur quartæ viſiōis ini tiũ, quæ eſt de primo Chriſti aduẽtu. Cçlũ vt prius dixim⁹, eccleſiæ militã tis typus eſt. Fideliũ enim oĩm eſt dicere, Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Templum autẽ Dei eſt Chriſtus, ſicut de ſeipſo Iudæis dicebat: Soluite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud. Ipſe enĩ Ieſus Chriſtus tẽplum, ſacerdos, ſacrificiũ, & altare in conſpectu Dei dicitur, pro noſtra reconciliatiōne. Apertum eſt igitur tẽplum, id eſt Chriſtus declaratus ac manifeſtatus eſt in eccleſia apoſtolorum prædicatione. Aperitur igitur quando verbi miniſterio Chriſti myſteria declarantur. Dũ autẽ hçc Chriſti myſteria declarantur, tunc ſimul in templo eius, id eſt Chriſto videtur arca teſtamenti, id eſt per arcã teſtamenti figuratum. Figura enim figuratum reprçſentat, & ecõtra. Sicut igitur arca teſtamenti ſignum erat fœderis & pacis; ita in Chriſto plenitudo diuinitatis & gratiæ ſignum eſt noſtræ recõ-

Templũ dicitur Chriſtus.

Arca teſtamenti chriſti figura.

ciliationis, ac fœderis inter deum & nos. Id autem maximè & videtur, & de Christo intelligitur, quando ipsum templum, id est Christus aperitur & declaratur. Sensus igitur est, quòd verbi Dei ministerio nostra pax & recõciliatio declaratus ac inauguratus est Christus. Quæ verò fuerint huius veritatis testimonia, sequitur. *Et facta sunt fulgura & voces, & tonitrua, & terræmotus, & grando magna.* Id est, Apostolis prædicantibus hæc facta sunt, vt dictum est superius de tribus primis cap. 4. vbi fulgura diximus facta fuisse miraculorum, voces prædicationum, tonitrua cõminationum, & Dei iudiciorũ. Superest dicendũ qualis fuit terræmotus, & grando magna. Dici itaque potest inter cætera miracula in ecclesiæ initio reuera fuisse terræmotus atq; etiã grandines ad ministrorũ verbi Dei imperiũ. Et si magis spiritaliter intelligamus, terræmotus fuit visa arca. i. Christo declarato, & quando in eo oĩa veteris testamenti ænigmata sunt cõpleta, tunc multi ad Christũ mouebantur, quippe qui cum

prius

prius terreni essent subinde cælestes redderentur, cæteri vero in multo diuersum, quandoquidē in Christū magis insanientes, ac in quicquid ad eum pertinet. Et sic terrenorū hominū ad Christū cōuersio, & à Christo auersio terræmotus dici potest. Item ipsis prædicantibus apostolis & aliis in nascēte adhuc ecclesia facta est grādo magna, qua vehemens denotatur persecutio, quæ tūc maxima fuit, persequentibus tyrānis ad mortem Christianos. Post hæc ad apostolorū prædicationē multus cōuertitur populus, & hunc in modum Christiana ecclesia exordiū sumpsit, de qua sequitur. *Verus terræmotus & spiritualis.*

Secunda pars.

ET *signum magnum apparuit in cælo.* Id est cæleste. Signum dicitur id qđ à se aliud designat. Et magnū, quia magna significat. Ex his itaque habes etsi signū pro ꝓdigio quandoq; sumatur, hoc tamen in loco sumi pro typo, figura, aut simulacro. Et sic quæcunque hic de muliere dicuntur signa, ad aliud quàm litera præ se ferat, *Signū et prodigiū.*

dem ecclesia, cui pollicitus est Christus portas inferi aduersus eā nō præualituras. *Et in capite ei⁹ corona stellarū duodecim.* Caput nō hic Christum sed initium designat. Corona autem tiara est regnantis. Stellæ verò, vt dictū est, ministri sunt verbi Dei. Sensus igitur est, quòd in capite, id est Christi ecclesiæ initio, cœpit Christus in fidelium cordibus regnare ad duodecim apostolorum prædicationem, qua de re dicuntur corona stellarum duodecim, id est pulchritudo & decor regni Christi, quod est ecclesia. Quanquam enim in primis electis exorsa fuerit ecclesia à mūdi statim initio, tamen à Christi aduentu & post eius ascensionem insigne sortita est initium. *Et in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciatur vt pariat.* Primo dicitur in vtero habens, id est Dei verbi semine prægnans, quo multos filios Deo parturire non parum gestit: de quo. 1. Ioan. 3. dicitur, Semen eius manet in eo, quoniam ex Deo natus est. Secundò dicitur parturiēdo clamare. Parturire quidem est ante partū anxiari & cruciari.

Christi regnum ecclesia.

Ecclesia parturiẽs clamat et cruciatur. Ecclesia igitur vt diaboli filios, dei filios efficiat, cruciatur, quia multa patitur, & clamat conquerens cum Esa.53. Domine quis credidit auditui nostro? Et cum Paulo ad Roma.10. Qui etiam ad Gal se parturire testatur dicens: Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus An non cruciabatur Paulus hunc in modum parturiens? Inquit enim.2.ad Corinth.11. In carceribus, in plagis supra modum, &c. Sensus igitur est, ecclesiam scilicet grauidam ac prægnantem esse verbi Dei semine, multosque Dei filios generare, sed multis vigiliis ieiuniis & orationibus generans cruciatur. *Et visum est aliud signum in cælo.* Id est ecclesia. Aptè quidem aliud dixit. ex diametro enim præcedenti oppenitur.

Et ecce draco magnus. Id est diabolus, qui magnus dicitur propter magnam nocendi potestatem atque libidinem. Non enĩ est potestas super terram quæ ei comparetur, teste Iob. Draco præterea dicitur propter venenum, calliditatem & astutiam. *Rufus.* Id est, cruentus martyrum sanguine, quem-

Magnam nocendi habet potestatem diabolus.

ab

ab initio fudit. Ioannis octauo. Ipse homicida fuit ab initio: vt in Cain primo parricida apparet. Item primitiua in ecclesia Christi maximè rufus & sanguinolentus dicendus erat iure optimo, qui tot martyres per tyrannos si a crudelitate & tyrãnide morti adiudicari fecit. *Habens capita septem, & cornua decem.* Id est totum impiorum corpus sibi adglutinatum, ac omnis impietatis congeriem & officinam. Numerus enim septenarius capitum draconis, omnium astutiarum & satanæ artium typus est. Sunt igitur septem capita draconis, siue satanæ. Et licet non describatur qualia fuerint, tamen ex scriptura septem satanæ capita descripta reperimus, quæ suam designant malitiam. Primò quidem sub serpentis & draconis describitur figura, Gene. 3. Psalmo. 57. 73. 90. Caput autem draconis vel serpentis, malitiæ mortiferæ typus est, ac eius venenatarum artium. Secũdò vitulo adumbratur. Exod. 32. & 3. Reg. 12. & 2. Paralip. 11. Caput verò vituli Idololatriç typus est, omnisque cul-

Diabolus homicida.

Quibus in scripturis diabolus figuretur.

tus impij. Tertiò figuratur leone. Ezechie. 19. & 32. 2. Timo. 4. &. 1. Petr. 5. caput verò leonis superbiæ typus est, ac voracitatis. Quartò figuratur vrso, Prouerb. 28. & Danie. 7. Caput verò vrsi voracitatis ac crudelitatis est typus. Quintò pardo figuratur Dan. 7. Pardus variegatorũ est colorum: sic eius caput typus est varietatis & mutabilitatis. Sextò figuratur bestia omnibus dissimili, Danie. 7. Caput bestię omnibus dissimilis, est typus excessus omni in malitia. Demum & septimò homine adumbratur. Caput autem hominis, vt malam sumitur in partẽ, execrandæ carnis sapientiæ typum gerit. Colligere igitur ex his septẽ capitibus descriptis licet, malitiam, sæuitiã, calliditatem, aliasque id genus satanæ artes, quibus instructus est vt noceat Christi ecclesiæ. Addit insuper illum draconem habere decem cornua. Cornu typus est regni, vt supra cap. 5. dictum est. Denarius verò numerus multitudinem adumbrat. Sensus itaque est, quid ipse draco cum suis membris decem habet cornua, id est multa re-

Artes diaboli.

gna, reges ac huius seculi potētes. Ipse enim est rex super omnes filios superbię. Habet igitur non pauca regna, & denique multa cornua, quibus regna significantur. *Et in capitibus eius diademata septem.* Diadema victoriæ est typus. quia igitur satan homines suis artib⁹ & astutiis deuicit per capita septem designatis, per superbiam videlicet, versutiā, dolum, malitiam, crudelitatem, impietatem, & carnalem sapientiam: ideo non abs re in vnoquoque capite diadema gestare dicitur. *Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Cauda, occultæ fraudulentiæ ac tacitæ typus est. Stellæ cæli, doctores sunt in ecclesia, siue omnes fideles fide & operibus perlucentes. Hos itaque quia aperta sæuitia vincere non potuit, occulta fraude seduxit, eósque misit in terram, id est suo astu impulit vt terrenis adhęrerēt voluptatibus, ac sic terreni fierent, qui erant prius cælestes. *Et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, vt cum peperisset, filium eius deuoraret.* Ecclesia Christi mater no-

Quibus armis homines vincat diabolus.

ſtra eſt, quæ Chriſtum in nobis per fidem & opera formare, & nos fideles in Chriſto parere ſemper exoptat ac nititur, modiſque omnibus procurat: cuius non exiguam ſolicitudinem obſeruans diabolus, eam inſtanter adoritur, eius cupiens deuorare filium, id eſt mox natū in aliis quidem Chriſtum extinguere, eius auferendo ſermonem: aliis autem ipſum inutilem prorſus reddendo. *Et peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea: & raptus eſt filius eius ad deum, & ad thronum eius.* Eccleſia igitur per verbi dei miniſtros Chriſtum peperit in multorum cordibus, cum eius ſuſceperunt fidem. Qui & maſculus dicitur: ſed quam ob rem? Cum omnis filius maſculus ſit, id ſanè myſterio non vacat. Nam maſculus, roboris ac fortitudinis typus eſt, quemadmodum emaſculus eneruatarum virium. quaſi igitur dicat. Is filius erit fortis potens & inuictus, vt ſequitur, Qui recturus erat gentes, id eſt infideles in virga ferrea, id eſt eius verbo, quod eſt ſemper inuictum. Per ſe autem

Eccleſia fideles parit.

Maſculus roboris typus.

autem aut eius ministros ita infideles rexit, vt de quauis natione verbo eius crediderint,eique paruerint,sicut illi à patre prædictum erat Psalmo secundo, Reges eos in virga ferrea. Porrò is masculus est Christus,quem draco semper deuorare studuit & perdere, etiam ad literam. Nam in primis omni qua potuit arte egit vt ab Herode occideretur. Verùm quia id non incidit, nullatenus quieuit donec moreretur aut occideretur. Ab eo autem tempore quo resurrexit, in hoc totus est draco, vt eius resurrectionis fidem euacuet,eúmque prorsus nobis inutilem reddat. Veruntamen non obstante eius persecutione, licet vincere videretur cum occisus est Christus, nihilominus victus est.ad Colossen.secundo.Expoliauitenim Christus principatus &c Et Christus cuius nomen extinguere arbitrabatur,raptus est ad dexterá Dei patris,vtdicitur ad Phi.2. Oïs lingua confiteatur quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris sedés. *Et mulier fugit in solitudinẽ, vbi habebat locum paratũ à Deo,vt ibi pascant*

Perditum voluit christum draco.

eam diebus mille ducentis. Ecclesia rapto Christo eius capite ad thronum Dei, vnà cum Christo ascendit affectu ad eam suspirans, sicut cum apostoli distractis possessionibus mundo isti valedixerunt, vni Christo sese committentes. Acto. 4. De hac autem fuga inquit Paulus ad Colo. 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, quæ sursum sunt quærite. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Sic igitur quæ in mundo sunt contemnere, ac quærere & sapere quæ sunt in cælo, est in solitudinem fugere. Hic autem locus ab æterno à Deo paratus est suis electis & veris fidelibus, quibus dicturus est: Possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi. Sed quare in solitudinem fugit, id est quæ sunt mundi refutat, & ad solum deum confugit? Caussa sequitur: vt ibi, id est tali in statu eam pascant verbi Dei ministri, scilicet verbo salutis, vnde refecti & pasti spiritu Dei dicunt: Domin⁹ regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.

Quomodo ī solitudinē abeundum.

Sed quandiu ibidem pascitur? Diebus mille ducentis sexaginta. Hoc est durante ac instante persecutionis omni tempore: quod maxime erat à tempore ascensionis Christi quando raptus est ad thronum dei. Tunc volentes se subducere, & saluare à draconis facie, in præscriptam fugerunt solitudinem. Quia verò vsqueadeo breue tẽpus persecutionis dicatur, hoc in scriptura fit ad maximam nostram consolationem, vt certò speremus nos citò liberandos, & accepturos esse consolationem æternam, ita vt sicut fuimus socij passionum, ita erimus consolationum in æternum. Sed dices, quomodo nos liberabit dominus à facie draconis? cuius pręsidio? Sequitur quomodo ecclesia habitat in adiutorio altissimi, & in protectione dei cæli commoratur. *Et factum est prælium magnum in cælo.* Id est in ecclesia militãte perpetua lucta indeficiensque prælium inter pios & impios, electos & reprobos. Diuersi autem adiutores eis adstant, vt sequitur: *Michael & angeli eius prælia bantur cum dracone: & draco & angeli*

Cõsolatio nostra.

eius pugnabăt. Pugnant hoĩes visibiliter, sensibiliter, sed secũ habẽt assistentes, adiutores cõtrarios. Assistũt enim piis boni angeli. Sunt enim administratorij spiritus missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, quorum princeps Michael dicitur, nõ tamen ꝙ personæ nomen sit, sed officij. Interpretatur enim quis vt deus. Et sic quia fideliũ est dei magnitudinẽ profiteri, cõgruè hoc vocantur nomine, sicut & ad hoc missi angeli. Angeli quippe eius nõ modò cælestes sunt, sed etiã omnes homines syncere verbũ dei prædicantes præliari nõ iniuria dicũtur cũ Michaele aduersus draconẽ. E regione verò mendaces prophetę, mundi principes, & quotquot sunt ĩpostores, angeli sunt draconis, quibus pugnat cõtra Michaelẽ & veros verbi dei ministros. Nostrũ igitur certamẽ & præliũ contradictio est, diuersa studia, volũtates & opera. Nullatenꝰ verò instituto huic cõsentaneũ videt intelligere (& si nõnullis placeat) de Michaele & Lucifero quãdo è cælo cecidit, quia hic nõ agitur de angeli casu. Quis verò tandem victor?

Assistunt piis boni angeli.

Angeli diaboli.

Et nō valuerūt: neq; loc⁹ eorū inuētus est amplius in cælo. Draco.s.& angeli eius victi sunt verbo dei, sicut promisit Christus ecclesiæ, Portæ inferi nō præualebūt aduersus eā. Et amplius locū nō habēt in cælo.i.ecclesia militāte, quia eius couersatio in cælis. Horū autē cōuersatio extra cælum, hinc hæretici & schismatici extra ecclesiā esse dicūtur, qui sunt angeli draconis etsi aliquādo fuerīt de ecclesia & numero & merito.
Et proiectus est draco ille magnus serpēs antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit vniuersum orbē, & proiectus est in terrā, & angeli eius cū illo missi sunt. Spiritus ille malignus nominib⁹ multis nominatur.. Draco in primis dicitur ob eius & ferociam & superbiam. Serpens quoque, ast non quiuis, sed antiquus dicitur, quia is est qui serpentis specie in initio primo fefellit parentes, eisque imposuit. Item diabolus} id est calumniator, διαβάλλω nempe calumniari significat. Ipse autem est qui crimen obiicit. Item satanas dicitur, id est aduersarius. Piis enim omnibus aduersatur. Ad hæc & seductor

Diaboli diuersa nomina.

Diabolus seductor dicitur. dicitur, quia nihil ardentiori studio nititur, quàm vt seducat: & omnis seductio ab eo originē traxit: qua de re vniuersum orbem seduxisse dicitur. Proiectus est autem primitiuæ ecclesię tēpore, quando sub secundo sigillo martyres draconem & suos tam gloriose vicerūt. & de cęlo proiectus dicitur, id est de fideliū cordibus, in quibus deus tanquam in cælo habitat. *In terram*, id est in terrena corda reproborum hominum, qualia erant infidelium ac tyrannorum corda, qui eos persequebātur. Non tamen ad hunc modū noster proiectus est aduersarius, vt nulla nūc sit pugna, quia ante mundi finem non est desitura, sed ea grauis pugna tunc existens cessauit, & tunc victus est draco, sicque proiectus dicitur. E*t audiui vocem magnam de cælo dicentem, Nunc facta est salus & virtus & regnum dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum dei nostri die ac nocte.* Vox hæc est gratiarū actio, quæ magna dicitur, multorum scilicet ac omnium Christianorum qui sunt in cęlo,

lo, id est ecclesia militante, dicentium. Nunc, victo scilicet dracone suis cum exercitibus, facta est salus, id est liberatio à dracone, & suis apostaticis angelis, & virtus, id est robur ad resistendum. Et regnum dei & Christi adauctum est, multis ad Christum conuersis. Et demum Christi potestas manifestata est in hac draconis euersione, qui die ac nocte, id est iugiter & indesinenter accusare dicitur fideles, quia semper ad id tendit & nititur, vt ipsi digna perpetrét accusatione, atque ré ipsa accuset: Vnde criminator dicitur, quia crimen intentat. *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis.* Hi qui vicerũt, Michael est, & angeli eius, id est fideles Christiani & martyres in ecclesiæ initio: non quidem suis freti virib⁹, sed merito passionis Christi accommodato eis & applicato per fidem Christi Iesu, quem publice & constanter profitebantur, quæ confessio testimonij sui verbum dicitur: & illud pro-

Quomodo adauctũ Christi regnũ.

fitentes non dilexerunt animas suas vsque ad mortem, id est vitæ propriæ pro Christo non pepercerũt, nec sic seipsos dilexerunt, quin multo plus Christum & illius verbũ dilexerint, ac pro eo mortem appetere voluerint. Hic anima pro vita vsurpatur, siue persona. Propterea autem quia proiectus est draco & sui, vnde Christi gloria, fideliumque victoria: ad non paruum gaudium inuitantur omnes siue in ecclesia militãte siue triũphante existentes. Ex opposito verò *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet.* Terra, eorum typus est qui obstinatam & in terra fixam habent malitiam, & terræ instar obduratã. Mare verò eorum typũ gerit, qui vacillantẽ, dubium & inquietum in fide habẽt animum. His væ imprecatur, quia diabolꝰ se deiectum vidẽs & suum exercitum, hoc non ferens, sed præ superbia insaniens, ad istos descendit terrenos ac carnales homines, habẽs irã magnã. i. nocendi animũ vehemẽtẽ, quia ab electis eiectus in reprobos atrocius sęuit.

Fideles & martyres quõ Christum diligant.

Caussam

Caussam auté adfert quare tam vehe-
méti detineatur odio, vt ferre nō queat
ex ipsis aliqué seruari. Caussa quidé po
tissima suæ effrenatæ insaniæ est quia
modicū tépus habet, ad fallendū & de-
cipiédū. Magis enim indignatur quāto
noscit breuiorem esse hominum vitam
ad eos tentandos & male afficiendos.
Cupit profectò perpetuò nocere pos-
se: quod cum videat minimè sibi cóce-
di, sed proximum nocendi finem immi
nere, ideo totis viribus eò insudat, vt
quicquid habet artis aut potétiæ ad no
bis nocendum, extendat & paret. Væ
igitur improuidis, & vtrunq; in oculū
dormitantibus hoc nostro præsertim
in seculo, in quo sæuus ille draco suas
omnes experitur artes. Quo enim ad
finem propius accedimus, eo crudelius
& malignius nos aggreditur, donec cir
ca septimi sigilli principium durissime
alligetur; ne vltra seducat in tépus vs-
que præfinitum.

Cupit diabolus perpetuo posse nocere.

Tertia pars.

ET postquā vidit draco quod proiectus est in terrā, persecutus est mulieré quæ peperit

masculum. Id est draco ille sæuissimus filiorum superbiæ rex; quanto fortius ab ecclesia fideliumque cordibus eiicitur, tanto eos acrius persequitur, ipsamque ecclesiam quæ filium peperit masculum, id est quia peperit persequitur. Pepererat enim ecclesia siue eius ministri Christum, in multorum cordibus. Eos autem acriùs semper insequitur, quos videt in reliquis Christum parturire. Et sic dicitur persequi mulierem quæ peperit & parit Christum. Sed non desunt illi mulieri siue Christi ecclesiæ aduersus illum subsidia, vt sequitur: *Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus & tempora, & dimidiũ temporis à facie serpentis.* Alæ duæ, duo sunt testamenta, quibus armata incedit ipsa ecclesia cõtra serpentem, draconem, & suos Antichristos: quibus volare dicitur in desertũ, quia ipsis se in contemplationem euehit, ac in solitudinem fugit, semetipsam à seculi huius impudicis desideriis subducens. Quam ob rem alæ aquilæ magnæ dicũtur, eò quòd sicut aquila multo

Peperit Christum ecclesia.

Duo testamẽta.

to ſublimius auibus cæteris volat, ita duorum teſtamentorum intelligentia & contemplatio fidelium mentes calcatis terrenis in cælum euehit. Et hunc in modum in deſertum volare dicitur, id eſt ſolitudinis & contemplationis locum: & tali in contemplationis ſtatu alitur verbo dei per tempus & tempora, & dimidium temporis. i. per annum & duos annos atque dimidiatum annum, quandiu Chriſtus prædicauit: & tantiſper debet regnare Antichriſtus, vt iam dictum eſt. quaſi igitur dicat, q̃ eo in tempore per tres annos & dimidium non deſtituetur Chriſti eccleſia dei auxilio, ſed ſpiritali cibo aletur à facie ſerpentis, id eſt ne eam ſeducat, quia ſi fieri poſſet, etiam electi ſeducerentur, vt inquit Chriſtus Matth. 24. Sed fieri haudquaquam poterit, quia dabuntur eccleſiæ ſiue electis duæ alæ &c. *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine.* Aquæ ſiue flumina perſecutionum multitudinem deſignant. Miſit igitur draco ſiue ſerpens ſua ſuggeſtione & aſtutia pſeudoapo-

Spiritualis cibus.

Flumina, persecutionũ typus. stolorum ministerio persecutionũ gurgites aduersus eam: & hæc sub tertio videntur facta sigillo, vbi equus niger apparuit, qui hæreticorum typus erat, & hac hæresum persecutione intendunt draco atque sui ecclesiam trahere siue illius membra à fide ad suam infidelitatem & mendacia, impostricesque doctrinas, *Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen quod misit draco de ore suo.* Quia diuersa est huius contextus expositio, præ cæteris tamen hanc selegi: *Quõ dicatur terra persecutũ adiuuare.* Terra tunc dicitur persecutum aliquẽ adiuuare os suum aperiens, quia eius persecutor immatura morte è medio tollitur, & in terram ex qua natus est reuertitur. Sic nanque plerisque incidit imperatoribus ecclesiam persequentibus. nam effectum est vt multi ex illis repentè morerentur, vt Iulianus Cæsar, & Domitianus, & cæteri: sicut Numer. 16. fit mentio de Choreitarum interitu contra dei ecclesiam insurgentium. Ipsis autem mortuis & à terra exceptis satis con-

stat

ſtat quod inquit, terram ſcilicet abſorbuiſſe flumen, id eſt perſecutiones, ipſis perſecutoribus extinctis. Hoc autem flumen de draconis ore procedere dicitur, mendacia ſcilicet intoxicata, ac peſtilens doctrina.

Et iratus eſt draco, & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti. Iratus eſt ob perfectorum in fide conſtantiam, quare eccleſiam expugnare & vincere non poſſit: quod videns, contra perfectos nihil poſſe, ſuſcipit bellum cum reliquis, id eſt aliis imperfectioribus & puſillanimis, qui tamen ſunt ſemen eccleſiæ, eiuſque gremij. Cauſſa in promptu eſt, nimirum quia cuſtodiunt mandata dei, exequendo illa. Et habent teſtimonium Ieſu Chriſti, id eſt eius fidem cum præcedentibus operibus atque prædictis. *Et ſtetit ſuper arenam maris.* Id eſt in his qui ſunt arenæ maris perſimiles, infructuoſi ſcilicet, quales ſunt impij. Stetit igitur, ſtat, & ſtabit draco ſuper homines infru-

Arena maris q d ſignet.

ctuosos & vanos, relicta muliere, ecclesia scilicet, nõ quidem penitus, quia in eam semper pugnabit. Sed aliquatenus eam dereliquisse dicitur, quia non vsqueadeo graui persecutione vt prius adoritur & persequitur.

Duodecimi capitis finis.

CAPVT XIII.

Summariè obseruanda.

Primùm bestia de mari ascendens describitur sua cum potestate.
Secundò bestia è terra ascendens cum eiusdem potestate.
Demum de numero nominis prioris bestiæ inquiritur.



T vidi de mari bestiam ascendentẽ habẽtem capita septem & cornua decem. Hoc loco de futura per Antichristũ omnium sęuissima persecutione agitur.

Antichristus bestia figuratus.

tur: & nunc quem prius draconem vocarat, bestiam appellat, nouo quidem vocabulo propter rei admirandam nouitatem, ob insignem nimirum malitiæ ferocitatem ac tyrannidem, De mari ascendere dicitur. Diximus enim superius draconem in terram & mare proiectum. Quid verò ascendere dicitur? Ascensus horrendæ huius bestiæ non modò pro simplici eius aduentu descriptus est, sed & vt eius aduentum in ascensu vel increméto iniquitatum futurum commõstraret, sicut scriptum est: Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Psal. 73. Itaque ascendere dicitur, quia tunc sensim crescet eius malignitas, dolus, fraus, mendacium, hypocrisis, tyrannis, pestiferaque doctrina. quasi igitur dicat: Quanquam prior bestia, draco scilicet, non parum vehementer nocuerit, multo amplius hæc oberit, ac lædet, suis imposturis & omnigena iniquitate ascendens. Et vt peramplius noceat, habet draconis instar capita septem, & cornua decem. Eundem igitur satanam in dracone & bestia operari significat.

Est siquidem vtriusque illud idem negotium: licet id tantum inter se habeant discriminis, quòd draconi tantum septem diademata, cum decem haberet cornua, tribuerat; in draconis capitibus ea affigens: Hic verò decem diademata cornibus decem simulat. Et hæc bestia diadematum loco in capitib⁹ singulis blasphemiæ nomina scripta habet, vt sequitur:

Bestiæ & draconis differentia.

Et super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ.

Cum diadema typus sit victoriæ, ideo vbi maior diadematum multitudo, ibi maior victoria, Sic declarat multo plures à bestia seducendos, quàm à dracone. Et super capita nomina habere blasphemiæ non dubium quin contra deum & Christum hoc est audacter & intrepide blasphemum aliquid asserere, & in ea gloriari blasphemia. Et super capita eius septem erunt nomina blasphemiæ: quia non modò Antichristus sed & omnes satellites eius aduersus deum & Christum eius blasphemiam proloqui non verebuntur. Itaque non solum super

vnicum

vnicum caput, sed super septem, quo septenario numero satellitum eius vniuersitas designatur. *Et bestia quam vidi, similis erat pardo: & pedes eius sicut pedes vrsi, & os eius sicut os leonis.* Prius diximus multicolorem pardum, varietatis, inconstantiæ ac mutabilitatis typum esse. His igitur accuratè consideratis, in hac bestia rectè pardus dicetur. Vrsum autem typum esse diximus voracitatis ac crudelitatis. Et cum insit pedibus vrsi vis quædam calcandi, per hoc sanctorum significatur calcatio, quæ bestiæ crudelitate ac voracitate fiet. Leonem præterea superbiæ ac rapacitatis typum diximus esse. Quia igitur hæc bestia superba loquetur, quæ Antichristum adumbrat, hac de re os dicitur habere leonis. Ex his demum concludit beatus Ioannes Antichristum eo in tempore refricaturum omnium priorum tyrannorum sæuitiam in seipso: & ad id exprimendū cunsuis alterius bestię variis typis ei ascribit malitiā. Sensus igit̃ huiusmodi est, quòd coacervabit in semetipso om-

Pardus. *Vrsus.* *Leo.*

nium aliorum tyrannorum, pseudoapostolorum. hypocritarum qui præcesserunt, malitiam & crudelitatem, consummabitque iniquitatem. *Et dedit illi draco virtutem suam.* Vim scilicet nocendi ei & suis ministris tribuit diabolus, hoc est ei dare omnem suam maledictam sapientiam & astutiam atque ingenium. Insuper dedit illi Antichristo & illius ministris *Potestatem magnam,* Videlicet faciendi prodigia & signa magna secundum apparentiam, quamuis non secundum veritatem. Talia verò erunt, vt nullus hominum similia facere queat, quia nulla est potestas super terram quæ valeat ei⁹ potestati æquari, vt dicit Iob 41. *Et vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est.* Draco siue bestia satan ipse est diuerso nomine appellatus, vt præfatum est. huius capita sunt eius doctores pseudoapostoli, inter quos vnum, id est primum & præcipuum caput, Antichrist⁹ scilicet, se occisum simulabit, & postmodum euigilabit, & sic dicet se resurrexisse: quod est plagam mortis eius,

Antichristus iniquitatē cōsummabit.

Se mori ac resurgere simulabit Antichristus.

ch ch

cp cp cp
ch ch cl

eius curatam esse. Et quia tantum appa rebit mortuus, ideo dicitur quasi occisus: & hoc pacto nec vera erit mors, sed nec vera resurrectio, sed vtrunque studiose simulabit, vt Christus videatur, & credatur Messias in lege promissus. *Et admirata est vniuersa terra post bestiam*, id est omnes terrenis addicti voluptatibus. Deducit prætereа quomodo hanc sint mirati bestiam. *Et adorauerunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ & adorauerunt bestiã, dicentes, Quis similis bestiæ: Quis poterit pugnare cum ea?* Videntes igitur terreni homines Antichristum prodigia facientem, ac mortuum simulantem, & tandem resurrexisse æstimantes, secundum rei veritatem adorabunt draconem, eò quòd talem potestatem dedit bestiæ, arbitrati neminem ei posse resistere, ei diuinos titulos diuinaque encomia soli deo & Christo debita decantantes, ac in hæc verba prorumpentes, Quis similis bestiæ? sicut in scriptura dicitur, Quis sicut deus? voluntati eius quis resistit? & id genus multa. *Et datum est ei os lo-*

Deo soli debitas laudes sibi attribuit Antichristus.

quens magna & blaſphemias. id eſt, à deo permiſſum eſt cum tradidit illum in reprobum ſenſum, vt loquatur magna, id eſt faſtuoſa & ſuperba, ſibi ipſi rapiens quæ dei ſunt, & blaſphema ſimul loquitur. *Et data eſt ei poteſtas faciendi mẽſes quadraginta duos.* Id eſt à deo permittetur vt ſic regnet Antichriſtus ſiue per Antichriſtum quadragintaduobus menſibus, id eſt, tribus annis cum dimidiato, quantum fertur Antichriſtus regnaturus. *Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant.* Id eſt, Tunc maximè aperiet os ſuum in conuitia aduerſus deum, vt calumnietur nomen eius, aliud de deo aſſerens aut illi attribuens, quàm illi conueniat. Et tabernaculum eius, id eſt eccleſiam, & verum eius cultum qui in ea exiſtit, & eos veros fideles qui in eccleſia militante aut triumphante habitant, Surget igitur beſtia hæc ſiue Antichriſtus in deum, in eccleſiam, & omnes qui eam inhabitant: & hunc in modum deſæ-

Eccleſia eſt dei tabernaculum.

desæuiet & insaniet execrandus ille per duos menses & quadraginta, vt iam dictum est. *Et datum est illi bellum facere cum sanctis, & vincere illos.* Id est diuino permissu contradicet sanctis, quibus contradicere est facere bellum. Permittetur insuper à deo vincere, id est vt eos vincat, vt prædictum est de duobus Christi testibus. Semper enim vincent sancti secũdum rei veritatem, licet impiis vinci videãtur cum occiduntur. Vincere igitur hic sumitur pro occidere. *Et data est illi potestas in omnem tribum & populum & linguam & gentem, & adorauerunt eam omnes qui inhabitabant terrã, quorũ nõ sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi.* A deo permittetur vt in omni gente & natione queat aliquos seducere, nullaque natio ab eius impetu & sæuitia secura erit. Maximè autẽ seducet eos qui inhabitãt terram id est terrenos homines & reprobos, qui in libro vitæ minimè asscripti sunt. Cuius, quæso, vitæ? Agni, id est Christi. Sensus itaque est, in libro vitæ

Antichristus aliquos omni ex natione seducet.

quæ est per Christum. Ipse enim est via & vita. Sed nunquid & electi seduci poterunt? Non dubito quin aliqui sint seducendi ab Antichristo, ad tempus, sed non finaliter, quia tandé ad Christum conuertentur, eo qđ non potest quis eas oues Christi rapere de manu eius, cum eas sibi dederit pater, qui maior est omnibus. Quare verò ei dederit electos, ratio sequitur, Quia pro his occisus est ab origine mundi, id est, Christi occisio promissa est ab origine mundi, quando deus de semine mulieris verba faciens dixit serpenti, Ipsum conteret caput tuum. Item in membris ab initio mundi occisus est, vt in Abel, quoniam Abel à fratre Cain occisus Christum præfigurabat, à Iudeis fratribus occidendum. Vel paulo commodius hæc particula, ab origine mundi, alteri iungatur, scilicet, quorum nomina &c. sitque sensus: Quorum nomina nō sunt scripta ab origine mundi in libro vitæ agni qui occisus est. *Si quis habet aurem, audiat.* Vbi magnum & sublime quidpiam dicturus est, quod nos scire referat.

Ad tēpus nōnullos seduci electos verisimile est.

referat, hoc loquendi modo auditorem adhortatur, attentumque & beneuolum reddit diuus Ioannes: non autem quosuis, sed eos qui aurem habent, id est intelligentiam & sensum spiritus. Eos igitur quos domini spiritus sapientes effecit, vt audiant excitat. Sed quid? non in dubium verto quin hoc quod sequitur, *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: & qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi.* Huius comminationis sensus est, Sanctos captiuans, captiuabitur: & qui illos afflixerit aut occiderit, affligetur aut occidetur. Hæc ad cõsolationem electorum addit, quia prædixerat Antichristũ in electos bellaturum, & eos oppressurum ac victurum. Ideo ne desperandi argumentũ daret, iudiciũ ipsius Antichristi prædicit, primo quod captiuabitur corpore & spiritu: & si non corpore, saltem spiritu. Nam proinde magis fiet satanæ & criminum captiuus, & tãdem in tenebras exteriores captiuus ibit. Secũdo gladio occidetur, & si non corporali, saltem spiritus gladio, quod est ver-

Habere aurem.

Captiuãdus Antichristus.

bum dei. Ipsum enim interficiet Christus spiritu oris sui, eoque iudicabitur ac condemnabitur. *Hic est patientia & fides sanctorum.* id est, eo tępore persecutionis Antichristi opus erit electis fide & patiętia. Fides enim omnia hui⁹ mundi mala per patiętiam vincit, quia vitam æternam ostendit, eamque sperare facit: spes autem non confundit. Sic sancti per fidem vicerunt regna. Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.

Fides & spes quid efficiant.

Secunda pars.

ET *vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia agni, & loquebatur sicut draco.* Postquam de bestia ascendente de mari vel de abysso dictum est, nunc ordine dicendum de ea quæ de terra ascensura est. Prior quidem Antichristi typus erat, hæc autem omnium falsorum & perfidorum prædicatorū eius, qui sub magno erunt Antichristo. Horum igitur omnium pseudoapostolorū cateruam hæc designat bestia, quæ de terra ascendere dicitur, quia terrenæ innitur

tur ſapientiæ, & ſolo terrenorum affe-ctu ad docendum mouetur. Hæc enim generatio nequam (vt iam hac etiam tempeſtate videre eſt) ambitione, gloriæ cupiditate, voluptate, & id genus aculeis carnalibus pertrahetur: & is eſt eius de terra deteſtandus aſcenſus. Et hæc beſtia quò peramplius fallat & ſeducat, duo cornua, non agni, ſed agni cornibus habet ſimilia, id eſt videbuntur eſſe agni, & non ſunt. Sed quid huius beſtiæ cornu? Verbum eius eſt, quo electos percutiet. Et duo cornua habet, quia duo teſtamenta, vetus, & nouum, ad ſui mendacij confirmationem aſſumet. Quæ duo teſtamenta ipſa veritate ſunt cornua agni, quia vtrunque eſt inſtrumentum quo Chriſtum probamus, & in eis primus eſt ſcopus & potior: ſed falſa interpretatione deſumpta, ac ſiniſtrè interpretata, vt interpretabuntur hi Antichriſti, dicũtur agni ſimilia, quia quãdam habent veritatis ſpeciem, eò quòd literam ſolam abſque Chriſti ſenſu proponant. Litera enim ſpiritu carens, mors eſt, & ad Chriſtum non

Duo cornua duo teſtamẽta adũbrãt.

pertinet. Sensus igitur is est, quòd hi pseudoapostoli Antichristi tempore his duobus cornibus, vtriusque scilicet testaméti authoritate, impietatem suã tueri non parum contendant. Et demum loquetur vt draco. Draconis sermo doctrina est dæmoniorum, ea scilicet quæ veritatis prætextu traditur, cum ipsissimum & purum sit mendacium, ac proinde in dei veritatem veluti ex diametro pugnet. *Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu eius,* id est eadem simulata & ementita miracula quæ faciet diabolus per Antichristum, & per eius ministros est facturus in ipsius Antichristi aspectu aut præsentia. Hinc sensus est, ministros scilicet Antichristi talia edere miracula simulata, qualia Antichristus viuens & præsens efficiet. *Et fecit terram & habitantes in ea adorare bestiam primam cuius curata est plaga mortis.* id est, hæc bestia siue caterua ministrorum Antichristi tot faciet emen tita & simulata miracula arte dæmoniorum, vt terrenos homines adorare cogat primam bestiam, id est Antichristum

Dæmoniorũ doctrina.

ſtum,quia propugnatores illi Antichri ſti in ipſius hæc facient nomine, ſicut apoſtoli in nomine Chriſti vera patrarũt miracula:& ad id exhortabũtur & docebũt Antichriſtum reſurrexiſſe, ſicut dicitur: Cuius plaga mortis curata eſt:ſed falſò ac fraudulenter, quia ſe reſurrexiſſe finget. Et dicitur plaga ſecũdum eorũ ſẽtẽtiã & opinionẽ curata, non tamẽ ſecundũ rei veritatem.plaga enim mortis vere curatur,quando quis re ipſa à morte reſurgit. Inter cætera verò ſimulata miracula quæ faciet hæc beſtia,alia cæteris erunt maiora,vt ſequitur: *Et fecit ſigna magna, vt etiã ignem faceret deſcẽdere de cælo in conſpectu hominum.* Hæc illi facient ad nominis Antichriſti inuocationem, ſed non niſi in ſatanæ efficacia. Faciet autem ſigna de cælo,igne cælitus deducto, vt cæleſtes & de cælis miſſi appareant. *Et ſeduxit habitantes in terra, propter ſigna quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ.* Id eſt ad honorem & exaltationem beſtiæ ſiue Antichriſti,eius nomen inuocando,qui dicent ſicut dixerũt diſcipuli Chriſti ad eum: Domine in nomine

Antichriſti pſeudo apoſtoli in eius nomine ſimulata miracula faciẽt.

tuo infirmos curamus, spiritus subiiciũtur nobis, &c. Quòd verò id prætẽdãt ministri Antichristi, sequitur, *Dicẽs habitantibus in terra vt faciãt imaginẽ bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit.* Hæc ministrorũ Antichristi caterua quia tantũmodo terrenos seducet homines, & voluptatibus inhiãtes, coget eos facere imaginẽ bestiæ quæ habebit plagã gladii.i.mortis, quia prius mortua fuit: sed præterea ei spiritũ vitæ & loquelã, tribue simulatã.s. & nullatenus veram; loquẽte per eam atq; mouẽte diabolo; quasi dicerent illũ cuius est imago, mortuũ esse, ac resurrexisse. Id enĩ sequitur: *Et datum est illi vt daret spiritũ imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ: & faciet vt quicunque nõ adorauerint imaginem bestiæ, occidantur.* Cùm corporaliter hæc futura sint & realiter secundum literã; nulla indigent expositione. Hoc ex loco facillimè deduces imaginum adorationem piam esse, quando imaginatũ piè & religiose adoratur: quia si impiũ imò idololatria sit eius adorare imaginem, cui nulla omnino debetur adoratio: è regione pium est, & religiosus est

Terreni tãtum ab Antichristo seducendi.

Imaginũ pia adoratio.

est latriæ cultus, quando eius imago adoratur, cui latriæ adoratio rectè & iure debetur. Liquet igitur ex hoc cõtextu honorem imagini delatũ & exhibitum, ad imaginatum referri. Alioqui edictum non fieret, quòd eã nolentes adorare, occiderentur. *Et faciet omnes pusillos & magnos, & diuites & pauperes, & liberos & seruos, habere characterem in dextra manu sua, aut in frõtibus suis.* Sicut fuit inter Iudæos & gentiles distinctio signũ circuncisionis quo obsignati erant Iudæi, & inter Christianos & infideles, quia nos Christiani characterem crucem ipsam gestamus: sic omnes Antichristiani cogentur aliquod deferre signum publicũ quo profitebuntur caput suum Antichristum. *Et ne quis possit vendere aut emere, nisi qui habeat characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius:* id est, Aliud firmabitur ac stabilietur edictũ, quòd nullus scilicet cum alio commercium habeat aut conuentionem faciat, nisi ille recenseatur inter satellites & asseclas Antichristi. Idque signo etiam

Ad imaginatum cult⁹ imagini exhibitus refertur.

Antichristiani aliquo peculiari obsignabuntur charactere.

exteriori teſtificetur, geſtans charactere rem aut nomen Antichriſti, aut eius nominis numerum; de quo dicendum eſt numero.

Tertia pars.

Hic eſt ſapientia. Id eſt magna ſapientia viuoq; intellectu eſt opus ad computandum numerum in nomine beſtiæ comprehenſum. Fingũt pleriq; multa Græca nomina Antichriſto accommoda, quorum literę dictũ conſtituunt numerum: ſed in primis notãdum hic ſermonem non haberi de nomine quod ſibi vſurpabit, quia ſe Chriſtum dicet & Meſſiam; ſed habetur ſermo de nomine ſibi quadrantę ſecundũ eius & conditionem & malitiam. Quia vero multas operaturus eſt fraudes, nõ mirum ſi à diuerſis diuerſa ei imponãtur nomina, ſecundum diuerſas eius conditiones. *Igitur qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt.* Legunt alij, numerus nominis eſt, quaſi dicat, licet difficile & arduum ſit computare, poſſibile eſt

le est tamen, quia nominis hominis vnius numerus est, non autem dei, cuius sapientiæ non est numerus, & nomen ineffabile. *Et numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Id est, oportet numerum huiusmodi in eius nomine reperiri, & hoc in nomine Græco, quia is liber primum Græcis scriptus est literis. Imitari igitur Græcos oportet secundum literarum vsum alphabeti pro numerorum notis. Vno siquidem modo sic toto vtuntur alphabeto in tres classes diuiso. Prima diuisio est vnitatum, videlicet quòd prima litera vnum designat, secunda duo, tertia tria, &c. vsque ad ι. secunda est denariorum ab ι. vsque ρ ita vt ι decem significet, & sequens 20. & tertia 40. &c. Tertia diuisio est centenariorum, ab ρ. vsque ad alphabeti finem suo protensa ordine, ita vt ρ centum significet, & secunda ducenta &c. Sic autem vtendo illis alphabeticis literis pro notis numerorum, etsi pleraque effingi possunt nomina, apud quosdam tamen vnum inuenio præcipuum, ἀρνοῦμαι videlicet, dummodo vltimam permutaris diph-

Apocalypsis primò Græcè conscripta.

CAPVT XIIII.

Summariè obseruanda.

Primùm virginei cœtus agnũ collaudãtis, & angeli ad deũ adorãdũ exhortãtis descriptio.
Secundò per alterum angelũ spiritualis Babylonis euersio.
Demum eorum qui bestiam adorarunt, per angelũ denunciata damnatio, multaq; de iudicio alia.



T vidi & ecce agnus stans super montem Sion, & cũ eo centũ quadragĩta quatuor milia, habẽtes nomẽ eius & nomẽ patris eius scriptũ in frontibus suis. Siõ, militãtis ecclesiæ typus est. Nã speculãs interpretatur. Super hãc, ecclesiã scilicet, stat Christus, quia præest. Stãs dicitur, quia semper præstò est ad auxiliandũ, maximè illo Antichristi tempore. Rursus is stare dicitur qui vincit. quasi igitur dicat. Etsi magna ecclesiæ persecutio futura sit, qualis à mundi non fuit initio, *Sion ecclesiæ typus.*

ſtabit nihilominus Chriſtus ſuis cũ electis omni in tempore inuictus. Electi enim ſeduci non poterunt, ſed ſemper eius nomen ſcriptũ habebũt in frontibus ſuis. i. palàm cõfitebuntur patrẽ cæleſtem, & eius naturalẽ filium Chriſtũ. Et hoc eſt vtriuſq; nomen habere ſcriptum in fronte. i. palàm publicè & intrepidè profiteri. Et hoc pacto electi ꝑ illa centum quadragintaquatuor milia deſignantur: vbi numerus determinatus indeterminati loco ponitur. Horũ autẽ omniũ fidei ſequitur cõfeſſio, quũ palã & audacter cõfitebũtur. *Et audiui vocẽ de cælo tanquã vocẽ aquarũ multarũ, & tanquã vocẽ tonitrui magni.* Aquarũ nomine, populi multitudo ſignificatur, vt crebrò dictũ eſt. Eſt igitur hæc vox omniũ eorũ qui tunc ſyncerè, Antichriſti. ſ. tẽpore, verbũ dei profitebũtur. Et dicitur hæc cõfeſſio tãquã tonitrui magni. i. magna, potẽs, & carni terribilis: vnde multi ad hãc vocẽ ſunt cõuertẽdi. Quòd verò de cælo dicitur. i. eccleſia militante, quam ſæpe per cælũ adũbrari prædiximus. Præter verò fideliũ cõfeſſionẽ, poſtquã beſtiã & eius imaginem

Nomen dei & Chriſti in frõte habere ſcriptum.

Multi cõuertendi.

imaginẽ vicerint, gratias Deo & agno sunt acturi, qui eis dedit victoriam, vt sequitur. *Et vocem quam audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Id est eadem voce & fide profitebantur & gratias agebant Deo. Per citharam enim & citharizationem, suauitatis cantus ac harmoniæ (vt cap. 5. dictum est) gratiarum actio designatur. *Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores.* Per quatuor animalia (vt prędictum est) omnes intelliguntur euãgelistæ, ac verbi Dei ministri: & per seniores, primates in ecclesia, vt patriarchæ, prophetæ. Cãticum nouum est gratiarum actio de nouis ac recentibus beneficiis nobis per Christum in nouo testamento collatis. Et cum dicitur canticum quasi nouum, ostenditur non omnibus sed solis carnalibus videri nouũ. Sed quid est cantare ante Dei sedem? Est sanè illud canticũ deo fieri ab electis & sanctis illud canentibus, gratúmque mirũ in modum habentibus, vt ex sequentibus satis demonstratur. *Et nemo poterat dicere cã-*

Quid canticum nouum.

ticũ nisi illa centũ quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra. i. Soli electi & Deo grati, illud possunt dicere canticũ ante sedem Dei: aliàs gratũ & acceptũ non esset. Quòd verò deo grati sint, ac eorũ proinde canticum, hæc est ratio, quia empti sunt; id est redempti sunt de terrena ac carnali conuersatione, ita vt cum Paulo in carne degentes, extra carnem viuãt. Porrò si legas discere, id est edoceri, vt legunt Græci, perfacilis hoc modo euadet intelligentia, quippe nullos edoceri electos nisi à Christi spiritu illis sit data veritatis notitia, qua illico fit vt Dei cantica discant. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. virgines enim sunt.* Mulieres hoc in loco (si syncere ac probe accipiamus) doctrinæ sunt spirituum impostorum, & dæmoniorum, quas sæpe mulieris vocabulo spiritus sanctus vult intelligi. Cum his autem inquinari, est illas amplecti, exosculari, amare, seruare. Non inquinari verò, est illas execrari, nec illis morem gerere. Virgines igitur sunt, qui ipsis impiis dogmatibus nũ-

Quid de terra redimi.

Cum mulierib⁹ inquinari.

quam

quam locum cesserunt. Sensus itaque est, quòd ij qui cantant canticum nouum, non accesserunt ad peruersas fallacésque doctrinas quantulibet expolitas, nec illis se prostituerunt. Virgines enim, id est, puri incorrupti & alieni ab eis sunt. Hinc sequitur. *Hi sequuntur agnum quocúque ierit.* Qui Christo credunt, eum sequuntur. Et quia virgines & incorrupti permanserunt in fide Christi, ideo rectè eum sequi dicuntur. Porrò cum addit, sequi quocunque ierit: sensus est: Verbo Christi credunt, siue ad vitam, siue ad mortem sit, parati etiam pro eius tuenda fide ad mortem eum sequi. *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno; & in ore eorum non est inuentum mendacium.* Primitiæ dicuntur præcipui fructus & potiores. Sic nihil addubitādū primitias ipsas electorum typum esse, qui Deo sacrificantur, & à reprobis seliguntur & seuicuentur, & ex multis pauci & rari, qui ad verum pontificem, id est Christum spectant. His igitur primitiarum lex quadrat, quæ Leuit. 23. Numer. 15.

Sequi Christum.

Electi Christi veri pōtificis sunt primitiæ.

& Deute. 18. habetur. Segregabantur enim domino, erantque in vsum summi sacerdotis. Quid tandem sibi vult, hoc, quòd hi empti sunt ex hominibus, nisi qꝫ ex multis pauci electi sũt & segregati de impudica hominũ conuersatione, reproborum videlicet, ne vnà cùm illis pollucrentur? Et quia ita segregati sunt tanquam primitiæ deo & agno, ideo non est inuentũ in ore eorum mendacium, id est dæmoniorum doctrina, & impostorum spirituũ, qui ab initio mendaces sunt. *Sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Sunt ante thronum Dei (vt plerisque in locis diximus) qui Deo grati sunt. Quia igitur sunt sine macula, iure optimo ante Dei thronũ esse dicuntur, id est Deo grati. *Et vidi alterum angelum volantem per medium cæli, habentem euangelium æternum, vt euangelizaret habitantibus super terram, & omni genti & tribui, & linguæ, & populo.* Hic angelus alter à priori dicitur. Cum verò prius nullus habitus fuerit sermo hoc in capite de altero angelo, videtur simpliciter legendum esse, Et vidi angelum &c.

Electi sũt segregati.

vt habet

vt habet dionyſianus codex. Is quidē angelus, typus eſt omnium verbi Dei miniſtrorum, qui ſub ſigillo ſexto, ſexta tuba, ſexta mundi ætate, Antichriſti ſcilicet tempore, ſunt pugnaturi cō tra eum cū prædicto agno. Is per medium dicitur volare cælum, quod ardentis ac fidelis curſus typus eſt ad verbum Dei ſanctum annunciandum. Volant igitur verbo ſcriptíſque docentes, ac omni quo poſſunt ſtudio. Sed quid per medium cæli? Cum cælū dixerimus militantem adumbrare eccleſiam, ſenſus eſt, eos in medio eccleſiæ docere publicè, & in occulto nihil, Chriſtum imitantes. Sed quid docent? Dicitur quòd is euangelium habet æternum, id eſt bonum nuncium, verbum Chriſti, quod æternū dicitur multas ob cauſſas. In primis, quia ſalutem promittit æternam. Secundò quia ipſum Dei & Chriſti verbum deeſſe nequit, vt dixerat Chriſtus: Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt &c. Hinc æternum dicitur. Sed quibus euangelizandum? Omni populo & nationi. Maximè autē præ-

Quid per medium cæli volare.

Euangelium bonum nuncium interpretatur.

dicabitur illo Antichristi tempore, vt docuit Christus Matth. 24. Cum prædicatum fuerit euangelium in vniuerso orbe, tunc erit consummatio. Cum autem euangelium lex sit amoris, multique ducantur non virtutis amore, vt saltem terrore & timore moueantur & accendantur, addit quomodo prædicatorum cœtus, peccatoribus debet timorem incutere, dicens. *dicentem, Timete dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare, & fontes aquarum.* Quandoquidem magna tunc erit persecutio, ne magis homines reformident ipsi fideles quàm deum, ideo ad Dei timorem eos exhortabũtur prædicatores, quippe cum deus ipse super omnia sit. Atque vt quæuis etiam ab hostibus illata æquo ferant animo ac leniter, quia cito sunt liberandi, eò ꝙ breui futurum sit particularis aut vniuersalis iudicij tẽpus, hos electos inducent prædicatores ad oĩm adorandum conditorẽ, vt minima etiã nostri gratia creata esse ostendant, eáque in nostrũ conseruari ministeriũ.

Euangelium lex amoris.

Quæque etiã minima in nostri gratiam creata.

Secunda

Secunda pars.

Et alius angelus secutus est dicẽs: Cecidit, cecidit Babylõ illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnesgẽtes. Hic angelus aliorũ prędicatorũ typus est, qui alia prædicabũt, euersionẽ scilicet miseræ & execrabilis Babylonis, dicentes, Cecidit &c. id est condemnata ac reprobata est: quam ob rẽ? Addit caussam, quia à vino fornicationis suæ potauit omnes gẽtes. Hic fornicatio pro idololatria sumitur, qua fuit inebriata ipsa ciuitas Babylon cum diis alienis fornicata. Et potauit omnes gentes, id est, oẽs illius ciues, qui sunt diaboli membra, ad idololatriam & impietatem impulit. Illa enim Babylon (vt dictum est) ciuitas est diaboli, & eius regnum, cuius regni ciues sunt qui se mutuò ad fornicationem spiritalem & corporalem prouocant. *Et tertius angelus secutus est illos, dicens voce magna, Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne &*

Fornicatio pro idololatria vsurpatur.

ſulphure in conſpectu angelorum ſanctorum & ante conſpectum agni. Hic angelus, aliorum prædicatorum typus eſt, qui mendacibus prophetis id agentibus vt cuncti adorent beſtiam primam, & illius imaginem, atque nominis illius numerum accipiant, obſtabunt, ac intrepidè contrarium ſuadebunt, videlicet quod ſi quis adorauerit beſtiam &c. bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius. Sic porrò vertenda lectio: Qui adorauerit beſtiam, bibet de vino iræ Dei mero in calice iræ ipſius. Quod quidem vinum merum mixtum eſt, ſubaudiendum illi, id eſt ad bibendum propinatum. Miſcere enim nō ſolum is dicitur qui aqua diluit, ſed & qui vinum fundit. Et hac loquendi via ſupplicium denotatur grauiſsimum. Nam per merum nulla aqua dilutum aut temperatum deſignatur Dei iudiciū & vindicta, ſine inquam miſericordia liberante: quæ iuſtitia & vindicta fiet in conſpectu angelorum, & ante conſpectum agni, id eſt ipſis videntibus, approbantibus, & fieri volentibus. *Et fumus tor-*

Miſcere dupliciter ſumitur.

mentorum eius ascẽdet in secula seculorum, nec habent requiem die ac nocte qui adorauerunt bestiam, & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius. Fumus tormentorum pro eorũdem cognitione vsurpatur, quia per fumum proditur ignis. quasi igitur dicat quòd ij qui sunt beati in secula seculorum, agnoscent ipsorum reprobrorum tormenta, atque lętabuntur cum de contumelia Deo illata vindictam conspicient. Illis autem nulla erit requies qui adorauerunt bestiam &c. *Hic patientiæ sanctorum est, qui custodiunt mandata dei, & fidem Iesu.* Id est, Tunc maxima opus erit patiẽtia ad constanter fidem Iesus asserendam, quia tunc maximè oppugnabitur: & ad Dei mandata obseruanda, quia tunc abundabit iniquitas, & refrigescet charitas, sine qua dei nullatenus rectè obseruantur mandata. Ad vtrũque igitur exequendum ingenti opus erit patientia. Sed dices, vnde eis tanta patientia? Ex æqua expectatione & spe, quæ non confundit. ad Rom. 5. De qua subnectit Ioannes ad ampliorem electorum consolatio-

Fum⁹ pro cognitione.

Antichristi tẽpore maxima opus erit patientia

nem. *Et audiui vocem de cælo dicentem mihi.* Vox de cælo, diuini sermonis typus est. Quod igitur Ioanni dictũ est, diuinus est sermo, nẽpe sequẽs: *Scribe,* scilicet in mẽte tãquã notatu dignũ ad patientiam ac consolationem. *Beati mortui qui in domino moriuntur.* Id est qui pleni fide in cõfessione Christi domini moriũtur, & ꝑ Christo occidũtur. Licet hic loc⁹ de omni in Christo moriẽte intelligi queat, tamẽ ex præcedẽtib⁹ notũ est de iis intelligi qui pro Christo occidũtur, & mala ꝑferũt. Ratio autẽ eorũ beatitudinis qui sic pro Christo moriũtur, sequitur. *Amodo iam dixit spũs, vt requiescãt à laboribus suis.* q.d. huiusmodi qui tũc bestiã adorare noluerint, forti sint animo, nihil illatis suppliciis terreantur, quia citò deficiẽt, ac repentè pertransient. Nã certò illis prenũciat spũssanct⁹ ꝙ amodo nihil oĩno ꝑferẽt mali, sed quiete potientur æterna. Dicit igitur fore vt requiescant à laborib⁹ suis quos Christi noĩe pertulerũt. Diuersam quoq; eorũ requiẽ declarat. *Opera illorum sequuntur illos.* Nõ quidẽ aliorum, quia in semetipso

Quid in domino mori.

metipso vnusquisq; gloriam habebit prout in corpore gessit: & qui bona egerunt, ibũt in vitam æternam. Merces igitur bonis debetur operibus ex Dei liberalitate ac promissione, non simpliciter vt nostra sunt, sed vt sunt in nobis opera Dei, quæ & nostra dici non abs re debent, cum dicat, Opera illorum. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem, similem filio hominis.* Postquam beatorum declarauit quietem æternam, nunc malorum iudicium, ipsumque iudicem Christum venturum in nube prænunciat quemadmodum ascendit in cælum. Dicitur autem filio hominis similis qui Ioãni apparuit, quia aut Christus aut ei persimilis angelus apparuit, eò quòd Christus ex cõmissione in hominis forma visibiliter iudicaturus est mundũ. Pater enim non iudicat quenquã, visibiliter scilicet, sed omne iudiciũ dedit filio, vt oẽs honorificẽt filiũ, sicut honorificant patrẽ. i. agnoscant eum dominum ac regem, vt sequitur. *Habentem in capite suo coronã aureã.* Quia rex est, ei competit co

Merces bonis debetur operibus.

Christus in hominis forma iudicaturus est mũdum.

exteriori testificetur, gestans characterem aut nomen Antichristi, aut eius nominis numerum; de quo dicendum est numero.

Tertia pars.

H*Ic est sapientia.* Id est magna sapientia viuoq; intellectu est opus ad computandum numerum in nomine bestiæ comprehensum. Fingũt pleriq; multa Græca nomina Antichristo accommoda, quorum literę dictũ constituunt numerum: sed in primis notãdum hic sermonem non haberi de nomine quod sibi vsurpabit, quia se Christum dicet & Messiam; sed habetur sermo de nomine sibi quadrante secundũ eius & conditionem & malitiam. Quia vero multas operaturus est fraudes, nõ mirum si à diuersis diuersa ei imponãtur nomina, secundum diuersas eius conditiones. *Igitur qui habet intellectum, computet numerum bestię. Numerus enim hominis est.* Legunt alij, numerus nominis est, quasi dicat, licet difficile & arduum sit computare, possibile est

le est tamen, quia nominis hominis vnius numerus est, non autem dei, cuius sapientiæ non est numerus, & nomen ineffabile. *Et numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Id est, oportet numerum huiusmodi in eius nomine reperiri, & hoc in nomine Græco, quia is liber primum Græcis scriptus est literis. Imitari igitur Græcos oportet secundum literarum vsum alphabeti pro numerorum notis. Vno siquidem modo sic toto vtuntur alphabeto in tres classes diuiso. Prima diuisio est vnitatum, videlicet quòd prima litera vnum designat, secunda duo, tertia tria, &c. vsque ad ι. secunda est denariorum ab ι. vsque ρ ita vt ι decem significet, & sequens 20. & tertia 40. &c. Tertia diuisio est centenariorum, ab ρ. vsque ad alphabeti finem suo protensa ordine, ita vt ρ centum significet, & secunda ducenta &c. Sic autem vtendo illis alphabeticis literis pro notis numerorum, etsi pleraque effingi possunt nomina, apud quosdam tamen vnum inuenio præcipuum, ἀρνοῦμαι videlicet, dummodo vltimam permutaris diph-

Apocalypsis primò Græcè conscripta.

CAPVT XIIII.

Summariè obſeruanda.

Primùm virginei cœtus agnũ collaudãtis, & angeli ad deũ adorãdũ exhortãtis deſcriptio.

Secundò per alterum angelũ ſpiritualis Babylonis euerſio.

Demum eórum qui beſtiam adorarunt, per angelũ denunciata damnatio, multaq́; de iudicio alia.



T vidi & ecce agn⁹ ſtans ſuper montem Sion, & cũ eo centũ quadragĩta quatuor milia, habẽtes nomẽ eius & nomẽ patris eius ſcriptũ in frontibus ſuis. Siõ, militãtis eccleſiæ typus eſt. Nã ſpeculãs interpretatur. Super hãc, eccleſiã ſcilicet, ſtat Chriſtus, quia præeſt. Stãs dicitur, quia ſemper præſtò eſt ad auxiliandũ, maximè illo Antichriſti tempore. Rurſus is ſtare dicitur qui vincit. quaſi igitur dicat. Etſi magna eccleſiæ perſecutio futura ſit, qualis à mundi non fuit initio, *Sion eccleſiæ typus.*

ſtabit nihilominus Chriſtus ſuis cũ electis omni in tempore inuictus. Electi enim ſeduci non poterunt, ſed ſemper eius nomen ſcriptũ habebũt in frontibus ſuis.i.palàm cõfitebuntur patrẽ cæleſtem, & eius naturalẽ filium Chriſtũ. Et hoc eſt vtriuſq; nomen habere ſcriptum in fronte.i.palàm publicè & intrepidè profiteri. Et hoc pacto electi ꝑ illa centum quadragintaquatuor milia deſignantur: vbi numerus determinatus indeterminati loco ponitur. Horũ autẽ omniũ fidei ſequitur cõfeſſio, qũo palã & audacter cõfitebũtur. *Et audiui vocẽ de cælo tanquã vocẽ aquarũ multarũ, & tanquã vocẽ tonitrui magni.* Aquarũ nomine, populi multitudo ſignificatur, vt crebrò dictũ eſt. Eſt igitur hæc vox omniũ eorũ qui tunc ſyncerè, Antichriſti.ſ.tẽpore, verbũ dei profitebũtur. Et dicitur hæc cõfeſſio tãquã tonitrui magni.i.magna, potẽs, & carni terribilis: vnde multi ad hãc vocẽ ſunt cõuertẽdi. Quòd verò de cælo dicitur.i. eccleſia militante, quam ſæpe per cælũ adũbrari prædiximus. Præter verò fideliũ cõfeſſionẽ, poſtquã beſtiã & eius imaginem

Nomen dei & Chriſti in frõte habere ſcriptum.

Multi cõuertendi.

imaginẽ vicerint, gratias Deo & agno sunt acturi, qui eis dedit victoriam, vt sequitur. *Et vocem quam audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Id est eadem voce & fide profitebantur & gratias agebant Deo. Per citharam enim & citharizationem, suauitatis cantus ac harmoniæ (vt cap. 5. dictum est) gratiarum actio designatur. *Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores.* Per quatuor animalia (vt prædictum est) omnes intelliguntur euãgelistæ, ac verbi Dei ministri: & per seniores, primates in ecclesia, vt patriarchæ, prophetæ. Cãticum nouum est gratiarum actio de nouis ac recentibus beneficiis nobis per Christum in nouo testamento collatis. Et cum dicitur canticum quasi nouum, ostenditur non omnibus sed solis carnalibus videri nouũ. Sed quid est cantare ante Dei sedem? Est sanè illud canticũ deo fieri ab electis & sanctis illud canentibus, gratúmque mirũ in modum habentibus, vt ex sequentibus satis demonstratur. *Et nemo poterat dicere cã-*

Quid canticum nouum.

ticũ nisi illa centũ quadraginta quatuor milia qui empti sunt de terra. Soli electi & Deo grati illud possunt dicere canticũ ante sedem Dei: aliàs gratũ & acceptũ non esset. Quod verò deo grati sint, ac eorũ proinde canticum, hæc est ratio, quia empti sunt; id est redempti sunt de terrena ac carnali conuersatione, ita vt cum Paulo in carne degentes, extra carnem viuãt. Porrò si legas discere, id est edoceri, vt legunt Græci, perfacilis hoc modo euadet intelligentia, quippe nullos edoceri electos nisi à Christi spiritu illis sit data veritatis notitia, qua illico fit vt Dei cantica discant. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. virgines enim sunt.* Mulieres hoc in loco (si syncere ac probe accipiamus) doctrinæ sunt spirituum impostorum, & dæmoniorum, quas sæpe mulieris vocabulo spiritus sanctus vult intelligi. Cum his autem inquinari, est illas amplecti, exosculari, amare, seruare. Non inquinari verò, est illas execrari, nec illis morem gerere. Virgines igitur sunt, qui ipsis impiis dogmatibus nũ-

Quid de terra redimi.

Cum mulierib⁹ inquinari.

quam

quam locum cesserunt. Sensus itaque est, quòd ij qui cantant canticum nouum, non accesserunt ad peruersas fallacésque doctrinas quantùlibet expolitas, nec illis se prostituerunt. Virgines enim, id est puri incorrupti & alieni ab eis sunt. Hinc sequitur. *Hi sequuntur agnum quocunque ierit.* Qui Christo credunt, eum sequuntur. Et quia virgines & incorrupti permanserunt in fide Christi, ideo rectè eum sequi dicuntur. Porrò cum addit, quocunque ierit: sensus est: Verbo Christi credunt, siue ad vitam, siue ad mortem sit, parati etiam pro eius tuenda fide ad mortem eum sequi. *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno, & in ore eorum non est inuentum mendacium.* Primitiæ dicuntur præcipui fructus & potiores. Sic nihil addubitādū primitias ipsas electorum typum esse, qui Deo sacrificantur, & à reprobis seliguntur & seiunguntur, & ex multis pauci & rari, qui ad verum pontificem, id est Christum spectant. His igitur primitiarum lex quadrat, quæ Leuit. 23. Numer. 15.

Sequi Christum.

Electi christi veri pōtificis sunt primitiæ.

& Deute.18. habetur. Segregabantur enim domino, erantque in vsum summi sacerdotis. Quid tandem sibi vult, hoc, quòd hi empti sunt ex hominibus, nisi φ ex multis pauci electi sũt & segregati de impudica hominũ conuersatione, reproborum videlicet, ne vnà cum illis polluerentur? Et quia ita segregati sunt tanquam primitiæ deo & agno, ideo non est inuentũ in ore eorum mendacium, id est dæmoniorum doctrina, & impostorum spirituũ, qui ab initio mendaces sunt. *Sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Sunt ante thronum Dei (vt plerisque in locis diximus) qui Deo grati sunt. Quia igitur sunt sine macula, iure optimo ante Dei thronũ esse dicuntur, id est Deo grati. *Et vidi alterum angelum volantem per medium cæli, habentem euangelium æternum, vt euangelizaret habitantibus super terram, & omni genti & tribui, & linguæ, & populo.* Hic angelus alter à priori dicitur. Cum verò prius nullus habitus fuerit sermo hoc in capite de altero angelo, videtur simpliciter legendum esse, Et vidi angelum &c.

Electi sũt segregati.

vt habet

vt habet dionysianus codex. Is quidē angelus, typus est omnium verbi Dei ministrorum, qui sub sigillo sexto, sexta tuba, sexta mundi ætate, Antichristi scilicet tempore, sunt pugnaturi cōtra eum cū prædicto agno. Is per medium dicitur volare cælum, quod ardentis ac fidelis cursus typus est ad verbum Dei sanctum annunciandum. Volant igitur verbo scriptísque docentes, ac omni quo possunt studio. Sed quid per medium cæli? Cum cælū dixerimus militantem adumbrare ecclesiam, sensus est, eos in medio ecclesiæ docere publicè, & in occulto nihil, Christum imitantes. Sed quid docent? Dicitur quòd is euangelium habet æternum, id est bonum nuncium, verbum Christi, quod æternū dicitur multas ob caussas. In primis, quia salutem promittit æternam. Secundò quia ipsum Dei & Christi verbum deesse nequit, vt dixerat Christus: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt &c. Hinc æternum dicitur. Sed quibus euangelizandum? Omni populo & nationi. Maximè autē præ-

Quid per medium cæli volare.

Euangelium bonum nuncium interpretatur.

dicabitur illo Antichristi tempore, vt docuit Christus Matth. 24. Cum prædicatum fuerit euangelium in vniuerso orbe, tunc erit consummatio. Cum autem euangelium lex sit amoris, multique ducantur non virtutis amore, vt saltem terrore & timore moueantur & accendantur, addit quomodo prædicatorum cœtus, peccatoribus debet timorem incutere, dicens. *dicentem, Timete dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare, & fontes aquarum.* Quandoquidem magna tunc erit persecutio, ne magis homines reformident ipsi fideles quàm deum, ideo ad Dei timorem eos exhortabũtur prædicatores, quippe cum deus ipse super omnia sit. Atque vt quæuis etiam ab hostibus illata æquo ferant animo ac leniter, quia cito sunt liberandi, eò quod breui futurum sit particularis aut vniuersalis iudicij tẽpus, hos electos inducent prædicatores ad oĩm adorandum conditoré, vt minima etiã nostri gratia creata esse ostendant, eaque in nostrũ conseruari ministeriũ.

Euangelium lex amoris.

Quæque etiã minima in nostri gratiam creata.

Secundã

Secunda pars.

Et alius angelus secutus est dicẽs: Cecidit, cecidit Babylõ illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gẽtes. Hic angelus aliorũ prędicatorũ typus est, qui alia prædicabũt, euersionẽ scilicet miseræ & execrabilis Babylonis, dicentes, Cecidit &c. id est condemnata ac reprobata est: quam ob rẽ? Addit caussam, quia à vino fornicationis suæ potauit omnes gẽtes. Hic fornicatio pro idololatria sumitur, qua fuit inebriata ipsa ciuitas Babylon cum diis alienis fornicata. Et potauit omnes gentes, id est, oẽs illius ciues, qui sunt diaboli membra, ad idololatriam & impietatem impulit. Illa enim Babylon (vt dictum est) ciuitas est diaboli, & eius regnum, cuius regni ciues sunt qui se mutuò ad fornicationem spiritalem & corporalem prouocant. *Et tertius angelus secutus est illos, dicens voce magna, Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne &*

Fornicatio pro idololatria vsurpatur.

sulphure in conspectu angelorum sanctorum & ante conspectum agni. Hic angelus, aliorum prædicatorum typus est, qui mendacibus prophetis id agentibus vt cuncti adorent bestiam primam, & illius imaginem, atque nominis illius numerum accipiant, obstabunt, ac intrepidè contrarium suadebunt, videlicet quod si quis adorauerit bestiam &c. bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius. Sic porrò vertenda lectio: Qui adorauerit bestiam, bibet de vino iræ Dei mero in calice iræ ipsius. Quod quidem vinum merum mixtum est, subaudiendum illi, id est ad bibendum propinatum. Miscere enim nō solum is dicitur qui aqua diluit, sed & qui vinum fundit. Et hac loquendi via supplicium denotatur grauissimum. Nam per merum nulla aqua dilutum aut temperatum designatur Dei iudiciū & vindicta, sine inquam misericordia liberante: quæ iustitia & vindicta fiet in conspectu angelorum, & ante conspectum agni, id est ipsis videntibus, approbantibus, & fieri volentibus. *Et fumus tor-*

Miscere dupliciter sumitur.

 mentorum

mentorum eius ascẽdet in secula seculorum; nec habent requiem die ac nocte qui adorauerunt bestiam, & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius. Fumus tormentorum pro eorũdem cognitione vsurpatur, quia per fumum proditur ignis. quasi igitur dicat quòd ij qui sunt beati in secula seculorum, agnoscent ipsorum reprobrorum tormenta, atque lętabuntur cum de contumelia Deo illata vindictam conspicient. Illis autem nulla erit requies qui adorauerunt bestiam &c. *Hic patientiæ sanctorum est, qui custodiunt mandata dei, & fidem Iesu.* Id est, Tunc maxima opus erit patiẽtia ad constanter fidem Iesus asserendam, quia tunc maximè oppugnabitur: & ad Dei mandata obseruanda, quia tunc abundabit iniquitas, & refrigescet charitas, sine qua dei nullatenus rectè obseruantur mandata. Ad vtrũque igitur exequendum ingenti opus erit patientia. Sed dicés, vnde eis tanta patientia? Ex æqua expectatione & spe, quæ non confundit. ad Rom. 5. De qua subnectit Ioannes ad ampliorem electorum consolatio-

Fum⁹ pro cognitione.

Antichristi tẽpore maxima opus erit patientia

metipso vnusquisq; gloriam habebit prout in corpore gessit: & qui bona egerunt, ibūt in vitam æternam. Merces igitur bonis debetur operibus ex Dei liberalitate ac promissione, non simpliciter vt nostra sunt, sed vt sunt in nobis opera Dei, quæ & nostra dici non abs re debent, cum dicat, Opera illorum. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem, similem filio hominis.* Postquam beatorum declarauit quietem æternam, nunc malorum iudicium, ipsumque iudicem Christum venturum in nube prænunciat quemadmodum ascendit in cælum. Dicitur autem filio hominis similis qui Ioāni apparuit, quia aut Christus aut ei persimilis angelus apparuit, eò quòd Christus ex cōmissione in hominis forma visibiliter iudicaturus est mundū. Pater enim non iudicat quenquā, visibiliter scilicet, sed omne iudiciū dedit filio, vt oēs honorificēt filiū, sicut honorificant patrē. i. agnoscant eum dominum ac regem, vt sequitur. *Habentem in capite suo coronā aureā.* Quia rex est, ei competit co-

Merces bonis debetur operibus.

Christus in hominis forma iudicaturus est mūdum.

rena:quia verò non temporalis regni sed spiritalis & cælestis preciosissimi, ideo aurea debetur. Christi igitur regia dignitas & auctoritas designatur. *Et in manu sua falcem acutam.* Id est iudiciariam potestatē ad vnicuique reddendum secundum opera sua. Et priusquam iudicet, omnes prius mori necessum est. Et sic eos omnes veluti succidet ante generalem resurrectionem. Hinc subdit. *Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit meßis terræ.* Hęc vox est omnium electorum, qui iudicij accelerationem in fine mundi expetent, videntes se ab infinitis liberatos periculis, persecutionibus videlicet Antichristi innumeris, timentes temporis longa intercapedine seduci. Suæ quoque postulationis adferunt caussam, quia venit hora exercendi iudicij, eò quòd aruit messis terræ, id est completus est electorum numerus. Tunc enim cum plenitudo gentium intrarit, reliquiæ Israel saluæ fient, vnúmque erit ouile, & vnus pastor tum Iudæorū tum gentium. *Et misit qui sedebat super nubem,*

Christus iudiciariā habet potestatem.

falcem

falcem suam in terram, & demessuit eam. Id est, Post longam & diuturnam Dei patientiam adueniente temporis iudicij plenitudine, misit Christus falcē suam in terram, & messuit eam, morte omnes succidens. Messis enim finis est mundi, & in proximo & propediē futura, Matth. 13. messor Christus, & falx eius iudicium irrefragabile. Sic in primis morte succidet, & demum generali facta resurrectione, congregatísque ante eum omnibus, electos in æterni patris horrea veluti triticū cōgregabit, malos autem, id est paleas igne comburet inextinguibili. Et hoc est metere quod efflagitabūt electi ad eorum beatitudinis accelerationem.

Messis finis mundi.

Christus messor.

Et alius angelus exiuit de templo, quod est in cælo, habens & ipse falcem acutam. Angelus hoc loco pro cœtu aliquo hominum sumi nequit, quia iudicij tempore nullus à Christo messor erit, aut falcem habebit in manu: sed sumitur pro angelorum cœtu, quia eorum vtetur ministerio & opera Christus, quos etiam messores illo tempore futuros prædixit Christus Matth. 13. in ziza-

Angelorū vtetur ministerio christus in iudicio.

niorum parabola: quam exponens ipſemet Ieſus Chriſtus dicit meſſem conſummationem eſſe ſeculi, & meſſores angelos quos ad colligenda ſcādala mittet, & ad bonos ſeparandos à malis. Et quia ad exequendum Dei iudicium parati erunt, ideo is angelus falcem dicitur habere acutam. *Et alius angelus exiuit de altari, qui habebat poteſtatem ſupra ignem, & clamauit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens, mitte.* Hic angelus typus eſt eorum quorum miniſterio ignis conflagrationis per terram & aerem effundetur, vt 1. Petri vltimo dicitur. Et ideo dicitur poteſtatē ſuper ignem ipſum habere, per quem ſcilicet iudicabit Chriſtus. Is autem clamat voce magna, id eſt magno affectu & ardenti deſiderio, ad eum angelum qui iuſſu & imperio Chriſti debet metere homines, *Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ ſunt vuæ eius.* Per botros, reprobos ſignificari ex eo palam fit, quòd in lacum iræ Dei miſſi dicuntur. Horum maturæ ſunt vuæ,

Ignis conflagrationis.

id eſt,

id est, consummatæ sunt eorum iniquitates, & ad peccatorum profundũ peruenerunt. Sensus itaque est. Vindemia vineæ terrestris botros, siue terrenos homines, quia eorum completæ sunt iniquitates. *Et misit angelus falcẽ suã acutam in terrã, & vindemiauit, vineam terræ.* Id est, Abstulit de terra impios & reprobos, ad Christi verbum dicentis: Ite maledicti &c. Tunc enim angelico separabuntur ministerio. *Et misit in lacum iræ dei magnum.* Lacus hic infern⁹ est, qui magn⁹ ex eo dicitur, quòd multos excipiat: sicut lata est via quæ in exitium ducit æternum, quam multi (domino teste) ingrediuntur. *Et calcatus est lacus extra ciuitatẽ.* Id est, hi qui sunt in lacu reprobi & impij, à dæmonibus calcati sunt, quorum ministerio torquentur: & hoc extra ciuitatem, id est Christi ecclesiã, quia amplius non sunt de ecclesia militante, sed neque de triumphante. *Et exiuit sanguis de lacu vsque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.* Hyperbolica est hæc locutio, & sanguinis multitudo horrendum Dei iudicium,

Infernus quare lacus dicatur.

Immensa dānatorū pœna. immensam & penè infinitam damnatorum pœnam designat. Per frenos autem iudicij exprimitur mēsura, videlicet quòd reprobi in lacu iræ dei merguntur & calcantur ad mensuram vsque pro peccatis vnicuique constitutam. Secundum enim quantitatem delicti erit plagarū modus. Ille igitur ter quatérque beatus, cuius pars erit in ciuitate & cōgregatione iustorum. Fac domine vt videamus bona Hierusalem omnibus diebus vitæ nostræ. Amen.

XIIII. Capitis finis.

Finis quarti libri, & quartæ visionis.

Incipit

CAPVT XV.

INCIPIT LIBER QVINTus, & visio Quinta.

Summariè obseruanda.

Primùm gratiarum actio & electorum ob impugnatam bestiam exultatio describuntur.
Secundò septem angeli.
Demum septem phialæ aureæ illis septem datæ angelis.



T *vidi aliud signum in cælo magnum & mirabile.* Mirabile dicitur signum quando de rebus magnis ac mirabilibus est. Cum autem hoc signũ de iudiciis Dei sit, quæ sunt abyssus multa, eò quòd nemo cognouit sensum domini, aut eius consiliarius fuit, ideo in cælo, id est ecclesia hoc signũ est mirabile. Quod verò signum intui-

tus est Ioannes? *Angelos septē habentes plagas septem nouißimas, quoniā in illis consummata est ira dei.* Angeli hi septem vniuersitatem adumbrant angelorum quorum opera & ministerio vtetur deus in seculi consummatione. Septem quoque plagæ nouissimæ omnes nouissimas significant plagas quibus tandem & nouissimè affligetur mūdus. Septenario enim numero vniuersitatem passim exprimi diximus. His autem absolutis nullis est vexaturus plagis mundum ipse deus. Hinc in illis ira Dei consummata dicitur. Peracto siquidem Dei vniuersali iudicio, in mundo supererunt nulli in quos diuina sæuire queat vltio. *Et vidi tanquam mare vitreum, mixtum igne.* Quod quidem (vt quarto capite diximus) Christi baptisma significat. Est enim quo abluimur lauacrum. Et quémadmodum mare omnes excipit sordes, & easdem eluit ac purgat: sic & baptisma omnes peccatorum maculas. Quamobrem verò dicatur vitreum, prædiximus. Quod autem igne mixtū additum est, ostendit id esse propter spiritus

Eluit baptisma omnes peccatorum sordes.

ſpiritus ſancti operationem, qui ignis eſt diuinus, ſicut prædixerat Ioannes nos baptizandos in ſpiritu ſancto & igne. Ioan. 23. Videre igitur mare vitreum igne mixtum, eſt in Chriſto videre baptizatos regeneratos & ſanctificatos, de quibus inquit. *Et eos qui vicerunt beſtiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, ſtantes ſuper mare vitreum.* Vidit igitur hos electos qui falli aut vinci à beſtia nullatenus potuerunt, ſed è regione eam vicerunt ſtantes, id eſt in gratia baptiſmali cõſtantes, & ei ac ſacramentorum fidei firmiter inhærentes. Et hoc eſt ſtare ſupra mare vitreum, confidere ſcilicet in facta regeneratione per lauacrum baptiſmi, in aliíſque ſacramentis, quorũ eſt ianua. *Habentes citharas dei, & cãtantes canticum Moyſi ſerui dei, & canticum agni, dicentes: Magna & mirabilia ſũt opera tua domine deus oĩpotens: veræ & iuſtæ ſunt viæ tuæ rex ſeculorum.* Cithara typus eſt gaudii, lætitiæ & exultationis, vt Iob. 3. dicitur, Verſa eſt in luctũ cithara mea, id eſt lætitia. Habent igitur citharas qui gaudent & lætantur.

Electi ab Antichriſto vinci non potuerunt.

Cithara lætitia typus.

Non profectò abs re citharas habere dicuntur Dei electi deuicta bestia, id est in Deo gaudentes & gestientes, vt addit, cantantes canticum Moysi serui Dei, agni, id est vtriusque testamenti scripturis aut canticis deum laudibus cumulantes, & gratias de obtenta victoria agentes, quam ei adscribunt dicentes, Mirabilia opera tua. quasi dicant, non nostra hæc sunt opera, sed tua, qui vicisti peccatum, mundum & infernum in nobis, eò quòd iustæ sunt viæ tuæ. quasi dicerent. Iudicans mundum, tuam manifestasti iustitiam ac omnipotentiam: quæ duo in Deo ipso in primis admirantur & prædicant. *Quis non timebit te domine? & magnificabit nómen tuum, quia solus pius es, quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conspectu tuo, quoniam iudicia tua manifesta sunt.* Omnes gentes per orbem vniuersum exhortatur ad illius timorem, & nominis ipsius confessionem: quod fiet cum omnes electi in vnicum Christi ouile congregati fuerint, sicut prędixerat Psalmista, Omnes gẽtes quascunque

Peccatum mundus & infernus deuicti.

cunque fecisti venient & adorabũt coram te domine: cum scilicet Christus ipsam bestia siue Antichristum spiritu oris sui interfecerit: quia tunc eius manifesta erunt iudicia. *Et post haec vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonij in caelo.* Id est, iudicio Christi absoluto aperta erunt & manifesta omnia mysteria quae de Christo praedicta erant ad tẽpus illud vsq;, quo omnia subiiciet deus sub pedibus eius, & deus erit omnia in omnibus. Horum autem manifestatio, apertio dicitur tabernaculi testimonij. Alludit enim ad vetus tabernaculum, vnde petebantur responsa de rebus agẽdis in populo Dei: quod quidem vmbra fuit tractãdarum rerum in Christi regno, siue mysteriorũ quae de ipso praedicta erant. Et apertum dicitur in caelo, id est ecclesia siue militante, siue triũphãte: quia statim à iudicio cessabit militans, & in aeternum durabit triumphans. *Et exierunt septem angeli, habentes septem plagas, de templo, vestiti lapide mundo (vel lino,) & candido, & praecincti circa pectora zonis aureis.* Se-

Tabernaculum testimonij.

ptenarius hic angelorũ numerus, vniuersitatẽ designat angelorũ qui Christo ad iudiciũ exequẽdũ sunt ministraturi. Septenario etiã plagarum numero, vniuersitas ac omnigena Dei vltio adumbratur, qua armabit oẽs angelos ad vltionẽ peccatoris, sicut omnẽ aliã creaturam armabit, vt Sapiẽ. 5. dicitur. Quòd autem hi angeli boni sint, & nõ mali, ex sequentibus liquet, quia vestiti sunt lapide candido & mũdo, id est puri sunt & mundi. Nam lapidis (vel commodius lini) mundities & candor typus est puritatis. Si verò lapidẽ legis, vestitus itaque est lapide mũdo qui Christum induit, qui est petra, & lapis angularis. Zona autem aurea circa pectus, typ⁹ est ardentis charitatis. quasi igitur dicat. Sunt angeli hi puri & mũdi, lino mundo figurati, & micanti auro charitatis fulgentes. *Et vnum ex quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas plenas iracundiæ dei viuentis in secula seculorum.* Vnum primum dicitur, vt prius dictum est. Primũ aũt ex quatuor animalib⁹ est ipsorum

Armabũtur omnes creaturæ contra peccatores.

rũ caput. Cum verò quatuor animalia figuram & typum dixerimus esse omnium ministrorum verbi Dei, quorum caput Christus est, hanc ob caussam vnum hic pro Christo vsurpatur: licet illius vocabuli gratia, hujus contextus variæ sint expositiones, inde etiam scaturiat & emergat difficultas. Ipse igitur Christus est, qui dedit septẽ angelis, id est vniuersis eidem ministraturis in iudicio, effundendi potestatem è vasis diuinæ iracundiæ septem phialas, id est omne genus vltionum & punitionum aduersus reprobos. Quæ quidem vltio æterna erit, quia ab eo est qui viuit in secula seculorum, id est in æternum. *Et impletum est templũ dei fumo, à maiestate dei, & de virtute eius.* Templum dei dicuntur sancti in quibus habitat deus, qui omnes aduersus reprobos replebuntur iracundia, contemptus dei quærentes vindictam conspecta ac considerata dei maiestate & virtute: quam dei maiestatem contempserunt reprobi. qua de re fumus siue iracundia

Septem phialæ vltionẽ Dei adumbrant.

Sancti templum sunt spiritus sancti.

ſanctoū procedere dicitur à maieſtate & virtute Dei, à reprobis ſcilicet cōtempta, & nihili ducta. *Et nemo poterat introire in templum.* Id eſt in ſanctorum conſortium, cum corpore inquam & anima. *Donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem angelorum.* Id eſt donec peractum ſit iudicium, ſelectis in vniuerſum impiis, & ſuo cum principe tartareis cruciatib' addictis ingredientur pij regnum cæleſte aſſumpto corpore, licet modò ſint quo ad animas ſolùm beati.

Finis capitis 15.

Caput

CAPVT XVI.

Summariè obſeruanda.

Primùm phialarum ſeptem per ſeptem partes effuſio deſcribitur.
Secundò Chriſti ad iudicium aduentus.
Demum Babylonis euerſio, in his admodum ſublimia de diuinis iudiciis exprimuntur myſteria.



T audiui vocem magnam de templo dicentem ſeptem angelis. Hæc vox magna, vox Dei eſt, ſic dicta, quia æterna & indeflexa. Cum autem dicere Dei & velle idem ſint & facere, hæc vox ea eſt voluntas & Dei decretum, quo ab æterno propoſuit ac decreuit ab eodem pręfinitis certiſque temporibus ſuorum iudiciorum impleri decreta. Vt autem id fieret, dixit ſiue præcepit ſeptem angelis, id eſt vniuerſis ei miniſtraturis ad exequen- *Velle dei & facere idem.*

dum iudicium. Huiusmodi autem est præceptum. *Ite effundite septem phialas iræ Dei in terram.* Id est Vos angeli ad hoc munus & ministerium, vltionis scilicet diuinæ, vocati & acciti, vobis demandatum exercete & peragite ministeriũ. Hoc autẽ est illas phialas effundere. Phiala verò iræ dei & calix pro vltione diuina sumuntur. *Et abiit primus angelus & effudit phialam suam in terrã.* Id est angeli dei ministerio iuxta Dei decretũ. & terribile iudicium effusa est ira Dei in terrenos homines. *Et factũ est vulnus sæuum & pessimum in homines qui habebant characterem bestiæ, & in eos qui adorauerunt bestiam, & imaginem eius.* Hoc vulnus sæuum est intellectus excæcatio, quæ omnium plagarum pessima est. Hac autẽ percussi sunt ij homines qui Antichristum Christi Iesu loco excipiunt, & qui Antichristi habẽt spiritũ, quod est habere characterem bestiæ, & eam adorare. Hac plaga maximè sunt percussi Iudæi sub primo sigillo. *Et secundus angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mor-*

Phiala iræ dei & calix vltionem diuinam significant.

Mẽtis excæcatio.

tui: & omnis anima viuens mortua est in mari. Cum cuiuslibet phialæ effusio, aduersus impios sit plagarum immissio, nequit hic textus de iustorum occisione intelligi, vt secundo sub sigillo equus ruffus designat, & sub secunda tuba equus rubeus: sed sumitur pro vltione diuina aduersus impios per mare (vt supra capite octauo) significatos. Tanta igitur erit ab exterminante angelo sanguinis reprobatarum gentium effusio, vt mare fiat sanguis tanquam mortui, id est niger & densus: quod hyperbolicè dicitur propter immensam sanguinis effusionem, quæ vsque adeo ingens erit, vt nullum animans viuum in mari supersit, id est nullus inter impios diuinæ vltionis expers. *Et tertius effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarũ, & factus est sanguis.*

Nullus inter impios diuinæ vltionis expers.

Aquarum gurgites persecutionum abundantiam significant, vt inquit Psalmista, Saluum me fac deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam, Phiala igitur iræ Dei effusa est super fontes aquarum, id

est persecutores fidelium. Et factus est sanguis, id est multorum mors sequuta est, deo pestem, famem &c. immittente. Sanguis enim in scriptura pro morte vsurpatur, vt notum est. Sēsus igitur est, Illæ aquæ in sanguinē versę sunt, corporaliter ipsos ecclesiæ persecutores perimente angelo.

Sanguis pro morte nonnūquā vsurpatur.

Et audiui angelum aquarum. Quædam græca volumina nō habent aquarum, licet in vetustiori codice græco & in vulgata editione habeatur, quam recipimus. ideo huius contextus sensus est, sumendo aquas multas pro populi multitudine, vt plerísque in locis sumpsimus. Vniuersitas ac cœtus angelorum qui multis præsunt populis, gratias agunt Deo quia eorum ministerio phialam & iram suam in ecclesiæ persecutores effudit. Horum autem canticum & gratiarum actio sequitur. *Iustus es domine, qui es, & qui eras sanctus; qui hoc iudicasti, quia sanctorum & prophetarum sanguinem effuderunt, & dedisti eis sanguinem bibere, digni enim sunt.* Lætantur angeli videntes

vindictam

vindictam effusionis sanguinis sanctorum, & gratias agunt Deo de eius iustitia & vltione, qui illos sanguinarios sanguine potarit proprio. Aptè omnino qui innoxium sitiunt sanguinem, sanguine potantur, quandoquidem illum instar aquæ fuderint, quò pœna illorum correspondeat delicto: quéadmodum & Tomyris Parthorum regina, Cyri Persarum regis pręcisum caput in vtrē sanguinis plēnū immergens, victo dixit illudens. Sanguinem sitisti, sanguinem bibe. Huiusmodi erit diuina vltio, vt per quæ quis peccauerit, per hæc & torqueatur. hinc addit, Digni enim sunt, hi sanguinarij hac vltione. *Et audiui alterum angelum dicentem, Etiam, domine deus omnipotens. Vera & iusta iudicia tua.* Confirmatio est æquitatis iudiciorum Dei, à toto angelorum cœtu & sanctorum, qui per alterum angelum designantur. Hi enim priorem audientes sermonem quo ab angelis deus ob iustitiam decantabatur, volentes & ipsi eandem ob caussam nostri domini benedicere, hoc ipsum

Tomyris regina Cyrus rex.

adiecerunt. Estque hæc vox omnium aliorum à prædictis qui populis præsunt, quasi dicat omnes gloriam tribuere Deo eò quòd sanguinarios sanguine potarit. *Et quartus angelus effudit phialam suam in solem.* Alio in tempore alij superuenient exterminatores angeli Deo emittente, quorum omnium typus est hic angelus. Et effudit phialam in solem, id est vltionem suã in Antichristum, qui se solem iustitiæ, id est Christum esse mentietur & iactitabit, & sua doctrina veluti quadã lucis claritate se mundum illuminare finget ac simulabit, similiter instar quæ Christo sunt in euangelio adscripta, sibi ipsi attribuens. *Et datum est illi æstu affligere homines & igni, & æstuauerunt homines æstu magno.* Aestus & ignis typus sunt omnis persecutionũ generis. quasi igitur diceret Angelum Dei omni persecutionum genere afflictaturũ reprobos homines, non quidem electos, quia eos affliget qui tandem pœnitentiam non agent: quamobrem de electis intelligi haudquaquam potest. Et hi omnes

Se solem affirmabit Antichristus.

reprobi

reprobi æstuauerũt æstu magno .i. cum nigenis oppressi sunt persecutionibus. Sed quid subinde sequutum est? Duo nequissima scelera. Prius sequitur, *Et blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas*. Blasphemia erat cum negarent Dei clementiam, illum asserentes exactorem & tyrannum crudelem propter has plagas. Secundũ, *Neque egerunt pœnitentiam vt darent illi gloriam.* Hoc summum malum, mori scilicet in finali impœnitentia. Est enim peccatum quod non remittitur in hoc seculo, neque in futuro. *Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ.* Sedes est regni typus, vt diximus. Et sic sensus est, quòd hic angelus vltionem diuinam effudit in Antichristi regno, siue super ministros ac satellites eius, & in vniuersos qui ei adhærent, veluti corpus capiti. *Et factum est regnum eius tenebrosum.* i. veritatis luce carẽs, ipsis eius ministris sua perfidia excæcatis, & impietate obduratis, permittente Deo, & hac

Quid æstuare æstu magno.

Summũ malũ, in finali impœnitentia mori.

Tenebrosum curdicatur Antichristi regnum.

plaga (quæ eſt mentis excæcatio) eos percutiente angelico miniſterio. *Et commanducauerunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemauerunt deum cæli præ doloribus & vulneribus ſuis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.* Is ſermo doloris grauiſsimi typus eſt. Hoc enim tropo, mentis inſaniam pr̨ maximo illato dolore deſignat ſcriptura. Et hunc in modum afflicti cum ad deum cæli eos percutientem conuerti debuiſſent conuitiis affecerunt, nec ab operibus ſuis reſipuerunt.

Et ſextus angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem. Abundantiam aquarum crebrò diximus perſecutionum eſſe multitudinē: quam ob rem maius flumen, maiorum perſecutionum typū eſſe oportet. Vltio igitur diuina effunditur ſuper magnū flumen, quādo ſuper maiores & nocentiores immittitur eccleſiæ perſecutores. Per flumen igitur magnum Euphratem, qui Babylonem præterfluit, principes & primores Antichriſti intelligit ſatellites, doctores & prima-

Maius flumen, perſecutionū maiorum typus.

& primarios impostores: super quos hic angelus suã effudit phialã quo absoluto, *Et siccauit aquas eius.* Id est, his Antichristi satellitibus extinctis, & dei vindicta correptis, cessauit persecutio. Et vt prædictum est, factum est silentium in ecclesia media hora & tranquillitas: & hoc. *Vt præparetur via regibus ab ortu solis.* Id est, Tunc nullum erit præpedimentum, nullum obstaculum, nullaque contradictio ipsis satellitibus Antichristi deuictis: omnibus tum regibus tum gentibus via patebit secura ad fidem Christi accedendi. *Quid viã præparari.*

Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immũdos in modũ ranarũ. Quia parũ perdurabit in ecclesia silentiũ, ideo statim addit se vidisse & persecutioné aliã, vt sẽper nobisipsis timeam⁹. Per draconé satanã, per bestiam Antichristũ suo cũ corpore; per pseudoprophetam quosuis falsos Antichristiani regni doctores intelligimus, qui ore ipsorum magnopere ecclesiæ nocebunt, id est doctrina. Hi autem in docendo ranis adæquãtur: quia sicut rana imbellis bestio- *Quare ranis Antichristiani adæquãtur.*

la ſola voce terribilis eſt ac horrenda: ita Antichriſti minæ & tyrannorum ſola voce erunt terribiles: re autem ipſa parum admodum piis fidelibus obeſſe poterunt. Item in modum ranarum eſſe dicuntur, quia perpetuò in hoc toti ſunt, vt coaxent, & ranarum inſtar garruli ſint. Item prout ranæ lutulentæ, ita horum doctrinæ ſemper in libidinem carniſq; libertatem ac ſpurcitiam tendunt. Qui autem ſint ſpiritus illi immundi, ſequitur.

Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna, ad eorum ſcilicet inuocationem: qua de re dicuntur de ore eorum emanare. Inuocabit enim Antichriſtus & ſui dæmones ipſos, ad ementita & ſimulata efficienda miracula ac falſa ſigna, quæ multis videbuntur mirabilia, ita vt propter ea penè moueantur electi. Reproborum autem ſiue regum ſiue principum ingens erit ſeductio his ſimulatis inſpectis ſignis, vt deducit:

Inuocabit dæmones Antichriſtus.

Et procedebant ad reges totius terræ, congregare illos ad prælium ad diem magnum omnipotentis dei. Id eſt, Antichriſtus & ſui ſatellites ficta hæc & ementita

facientes miracula, principes ſeducent terrenos, eoſque inducent ad bellum contra fideles ineundum, maximè verò eo tempore quo futurus eſt dies domini magnus, dies ſcilicet iudicii. Summarie itaque oſtendit armandos eſſe omnes reges terræ aut terrenos aduerſus pios fideles, eos perſequendo: quo in tempore deo maximè fidendum erit, qui quidem eos tanquam vaſa figuli confringet, vt ſequitur: *Ecce venio ſicut fur.* Id eſt, Ex improuiſo ſicut fur veniã ad illos perdendos Antichriſtos, & eccleſiæ perſecutores. Et cum dixerint pax, repente eorum fiet interitus. quaſi dicat: Conſolamini inuicem in verbis iſtis veri fideles: ſed interim vigilate ne vos offendam ocioſos: quia *Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* Vigilantiam hoc in loco ſummopere commendat, qua aliorum errores deuitemus, ne nudi ambulemus & appareamus in aduentu Chriſti timoris dei expertes, fiduciæ

Præliabitur contra fideles Antichriſtus.

Vigilandum eſt.

Vestimenta electorum. in eum, beneficentiæ in proximos. Huiusmodi enim virtutes vestimenta sunt electorum, vt dicitur ad Colos. 3. Induite ergo vos sicut electi dei sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, sanctitatem, modestiam, patientiã, &c. Fide & his exuti operibus, nudi apparent. Qui autem obseruant, ij sunt qui vigilant. Monet igitur vt vigilemus, ne nudi simus, & appareat turpitudo nostra, id est praua cordis studia & consilia, quæ tunc in Christi aduentu omnibus patebunt: vt 1. Corint. 4. dicitur. *Et congregabit illos in locum qui vocatur Hebraicè Harmageddon.* Siue congregabunt, prout Græci legunt, referendo ad tres spiritus immundos, de quibus iam dictum est quòd suis fictis signis congregabunt non modò plebeios ac simplices, sed & reges terræ. Nunc autem meminit loci in quo cõgregari debent. Dicitur autem locus Hebraicè Harmageddon. Hãc vocem Græci scribunt hac ratione ἁρμαγεδδὼν Hebræi verò cum aspiratione. Est autem vox composita ab har, quod est mons, & geded, fructus, vel poma non

Harmageddõ vnde dicatur.

autem

autem quævis, sed optima & electa. Solet quoque hæc vox ab Hebræis vsurpari pro eo quod in quacunque re est electum & optimum. Sic in instituto sumitur pro Christi ecclesia, quæ est mons fructuum. Sæpe enim in scriptura mons dicitur, Psalm. 20. mons Sion, & Cantic. 4. mons myrrhæ, & collis thuris. Cum igitur ecclesia Christi sit locus prælij, in hanc harmageddon congregabuntur omnes impij ad prælium contra deum & sanctos eius. Quibus verbis docet fideles ad pugnā paratos esse oportere. Hinc concludendum, deum velle contra se & suos prælia fieri, vt eius summa potētia cunctis notissima fiat, & victoria in sui nominis gloriam, ac suorum fœlicitatem conuertatur, sicut scriptum est, Et certamen forte dedit illi vt vinceret.

Ecclesia mons in scripturis dicta.

Vult de' in se & suos prælia fieri.

Tertia pars.

ET *septimus angelus effudit phialam suam in aerem.* Id est, in tempore septimi sigilli aperiendi, & septimæ tubæ, quando proximum erit iu-

dicij tēpus post omnes præfatas persecutiones, extincto Antichristo suis cum satellitibus, tūc septimus angelus aeré turbabit. Sed quomodo? sequitur, *Et exiuit vox magna de tēplo à throno dicens, factū est.* id est, de cælo quod dei tēplū dicitur, à maiestate dei exibit vox, id est sententia de seculi cōsummatione dicens: Factum est, id est cōsummatum est, iam finis mundi & vltimū aduenit tempus. Ad quam seculi manifestandam consummationé in aere fiet turbatio, vt sequitur: *Et facta sunt fulgura & voces & tonitrua, & terræmotus factus est magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines super terram fuerunt, talis terræmotus sic magnus.* Hæc omnia re vera fient ad maiorem eorum qui superuiuent aut supererunt terrorem, vt peramplius ac fusius Matth. 24. prædixit Christus. *Et facta est ciuitas magna in tres partes,* id est, reproborū collectio, quę magna dicitur ad electos comparata, in tres partes diuiditur, siue ex tribus cōflatur, ex infidelibus scilicet, hæreticis, & peruersis Christianis. *Et ciuitates gentium succiderunt.* Id est omne robur

Cælū, dei templum dicitur.

Ex quib9 cōstet reproborū collectio.

robur fiduciaque gentium ſimul in vniuerſum periit, & inter gentium ciuitates ea quæ tutiſſima videbatur, & prorſus impoſſibilem ſui arbitrabatur caſum: quam ob rem ea ſententia in pios quoſlibet graſſabatur, quaſi id deus non videret. Verum enimuero & ipſa cum aliis cecidit, & perierunt robur, potentia, ac eius diuitiæ, vt ſequitur. *Et Babylon magna venit in memoriam ante deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.* Venit tunc ciuitas in memoriam ante deum, quando de impietate illius deus vindictam ſumit. Sic iſta quantumuis magna videatur, cum aliis cadet, id eſt dei vltionem recipiet, eiq; ſubiicietur. Propterea dicitur ventura in memoriam ante deum: idque eſt illi dare calicem iræ eius. *Et omnis inſula fugit, & montes non ſunt inuenti.* quaſi dicat: Vſque adeo tota mundi machina quatietur ac collidetur, vt montes etiam altiſſimi per medium ſecti ruituri ſint: marinæ quoque inſulæ collapſæ marinis abſorbebuntur funditus fluctibus. Hoc enim eſt inſulam fugere,

Quid in memoriã venire ante deum.

montes quoque minimè inueniri, quod omnino est perire, nullatenus apparere. *Et grando magna sicut talentum descẽdit de cælo in homines, & blasphemauerunt deum homines propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer.* Id est, Tam magna & vehemens tũc erit persecutio re ipsa de cælo descendens in homines ex dei imperio, vt propter eam homines impii blasphemẽt deum ipsum, in eo nullam habentes fiduciam vt aliquando liberari queant ab huiusmodi vehementi persecutione. Pii autem ad deum conuertentur, & de omnibus gratias agent, expectantes beatam spem, & aduentũ gloriæ filij dei. Diligentibus enim deum, omnia cooperantur in bonum: sed ex opposito eum odio habentibus, quæque in malum: prout de his dicitur: Odium eorũ qui te oderunt domine, ascendit semper. De quorum numero erunt ij qui tunc blasphemabunt deum.

Gratias de omnibus pij agunt deo.

Finis quintæ visionis, siue quinti libri.


Incipit

Incipit sexta visio, siue sextus liber.

CAPVT XVII.

Summariè obseruanda.

Primùm meretricis magnæ mulierisque fastuosæ & Babylonis ac visio.
Secundò ipsius, bestiæ ac interpretantur mysteria.
Demum vtriusque ruina, & Christi victoria describitur.



T venit vnus de septem angelis qui habebant septẽ phialas. Vnus ex præfatis angelis quib⁹ cõl lata erat potestas plagis præmissis suo tempore vniuersum afficiendi orbem, accessit, *Et locutus est mecum dicens: Veni, & ostendam tibi damnationem meretricis magnæ quæ sedet super aquas multas.* quasi dicat: Etsi pleraque de Babylone dicta sint superius, ac de bestia, non tamen plenè de eis habitus est sermo, sed superest Aarum quãlibet peramplius de-

ſcribere. Hinc primo deſcribitur Babylon ſynagoga illa Antichriſtorum, & omnium pſeudoapoſtolorum cœtus, omniumque reproborum collectio, quæ in primis meretrix dicitur, quia auerſa eſt à deo creatore ſuo, & ſponſo ſuo Ieſu Chriſto, & conuerſa eſt ad creaturam, diabolum, & mundum. Quapropter iuſtè damnanda dicitur. Et nō iniuria dixit angelus, oſtendam tibi dānationem eius, id eſt rationem & argumentum eius damnationis. Primò quia meretrix, ſecundò quia multis inſidet aquis, id eſt populis, vt infrà videre eſt, quaſi dicat, Cuiuſuis nationis aliqui ſunt huius ciuitatis Babylonis ciues, & de quolibet ſtatu, regum maximè, vt ſequitur: *Cum qua fornicati ſunt reges terræ.* Et non hi ſolum, ſed & multi plebei ac ſimplices, quia ad regis aut reginæ exemplum totus orbis cōponi ſolet. Qualis enim rector ciuitatis habitātes in ea, tales, quaſi igitur dicat: Huius ciuitatis primi ciues ſunt reges terreni, q priores à deo defecere, & cū diabolo & mūdo fornicati ſunt, vnde terreni & carnales dicuntur, vt ſequitur:

Babylon reproborum collectio.

Regē imitātur ſubditi.

quitur: *Et inebriati sunt qui inhabitabant terrã, de vino prostitutionis eius.* Reprobi terram inhabitare dicuntur, quia in terrenorum amore ac desiderio ad finem vsque morantur. Electi enim nonnunquam ad tempus terrena sapiunt, sed minimè inebriantur: reprobi autẽ inebriantur de vino prostitutionis eiús, id est de eius mẽdaciis, imposturis, abominationibus, fornicationibus tã spiritualibus quam corporalibus. *Et abstulit me in spiritu in desertũ.* Sic Ioanni visum est quum in desertũ aufferretur & solitudinem, vt eius animus ad maiorẽ veheretur contemplationem, quia sublimia (vt sequitur) erat inspecturus.

Qui terrã inhabitare dicantur.

Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenã nominibus blasphemiæ, habẽtem capita septem, & cornua decẽ. Hæc mulier synagoga est & cœtus omnium hæreticorum & reproborũ, siue Babylon magna, quam vidit sedẽtem, id est quiescentem & sidẽtem, super bestiam coccineam, id est Antichristos vniuersos, qui bestia dicuntur coccinea siue ruffa, id est sanguine martyrum rubicunda ac cruentata. Nã tum meretrix,

Antichristi vniuersi, bestia coccinea adũbrati.

tum cui insidet bestia, piorum sitiunt sanguinem. Secũdò vidit eam plenam blasphemiæ nominibus siue maledicentiæ in deum & Christum, sanctos omnes, & ecclesiam: sicut & hac tempestate hanc hæreticorum cateruam omni blasphemiarum genere aduersus deum & Christum scatentem in dies conspicimus. Tertiò vidit habentem capita septem, & cornua decem. hæc infra à diuo Ioanne exponuntur.

Et mulier circundata erat purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide precioso, & margaritis. Ad literam hic sumi potest ornat⁹, vt ex ipso habitu & ornatu externo facilè deprehendas huius mulieris meretricis mores & studia, luxũ, pompam, ac fastum omnium Antichristorum & impiorum, quorum omnium luxu referta est vita. Alio siquidem modo alludere videtur Ioannes ad falsam doctrinam, ac humanam sapientiam, quam Prouerb. 5. & 7. Salomon sub typo fucatæ mulieris inducit, quæ hic dicitur circundata purpura, quia sibi regiam dignitatem, Antichristo videlicet attribuet. Itẽ coccino ꝓpter cruoris

Falsa ac humana sapientia.

ris sitim, & inaurata auro & lapide pretioso, id est omni hypocrisi simulataque sanctitate, quibus suas occultare abominationes satagit quò facilius fallat incautos, & in sui admirationem ac amorem pertrahat. *Habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione & immunditia fornicationis suæ.* Poculũ typus est doctrinæ: sed cum plenum dicitur abominatione, in malam sumitur partem, pro impiorum videlicet doctrina, quæ omni est plena abominatione, doctrinarum scilicet dæmoniorum, idololatriæ, ac omnigenæ impietatis. Quòd insuper aureũ dicitur, hypocriseos typ⁹ est, quia ptextu nominis Christi & Messiæ propinabunt Antichristiani suam doctrinam. *Et in fronte eius nomen scriptum (mysterium) Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.* Nomen eius scriptum in fronte, id est omnibus notum & conspicuum est istud, Babylon, id est confusio: quia in hac ciuitate prædicta ciuium propter multitudinem nihil bonum finem assequutum est, sed neque accommodatum, sed omnia hinc inde

Poculum quid designet.

Babylon confusio interpretatur.

confusa.Hanc ob rē dicitur mater.i.scaturigo,caussa,ac argumētum omnium terræ abominationū,siue q̄ fiunt super terrám,& à terrenis hominibus.Quod autem interseritur mysterium, parenthesi legendum, id effectum est ob lectoris excitandum animum,vt diligentius aduertat ea quę dicuntur,quasi dicat:Leuate capita vestra, audite & intelligite hoc mysterium,quale est mulieris nomen,& qualis eius conditio,vt sequitur: *Et vidi mulierem ebriā de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu.* In hac impiorum ac reproborum collectione per mulierem adumbrata, alij fuerunt prophetarum occisores Iudæi videlicet qui quondam eorum sanguine ebrii fuerunt, de quibus prior pars intelligitur ꝙ ebria fuit hæc mulier primo in loco sanctorum sanguine, prophetarum scilicet. Alii fuerūt gentiles tyranni noua in lege,qui sanguinem martyrum Iesu,id est eorū qui testimonium de Iesu ferebant,ad ebrietatem vsque hauserunt. Vidit itaq; hāc mulierem,omnium ecclesiæ dei persecutorum collectionem quasi in prædictorum

Iudæi & gentiles Christi martyrū occisores.

dictoru sanguinem natantem. *Et miratus sum cum viderem illam, admiratione magna.* In admirationem pertrahitur Ioannes ob huius mulieris habitum, ebrietatem, & eius abominationum numerositatem. quem admirari vetat angelus dicens: *Et dixit mihi angelus: Quare miraris? ego dicam tibi mysterium (vel sacramentum) mulieris, & bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem.* Ioãni pollicetur angelus mysterium siue sacramẽtum huius mulieris & bestiæ se reseraturum, quibus ab eo hũc eruditur in modum, *Bestia quam vidisti, fuit, & non est: & ascensura est de abysso, & in interitum ibit.* Bestia hæc Antichristus est, cui insidet omnis hæreticorũ cœtus. de eo dicitur quòd fuit, & nõ est. i. Fuit in mẽbris, sicut 1. Ioan. 2. dicitur: Filioli, nouissima hora est, quia Antichristus venit: & iã Antichristi multi facti sunt. Et ratio ꝓpter quã Antichristi dicẽdi sũt, quarto habetur capite, cũ dicitur: Oĩs spiritus q soluit Iesum, ex deo nõ est: & hic est Antichrist⁹, de quo audistis qm̃ venit, & nunc iã in mũdo est. Cui astipulatur

Quõ fuisse dicitur Antichristus.

diuus Paulus 2. Theſſ. 2. Et nunc iam, inquit, operatur myſterium iniquitatis. Sicut igitur Chriſtus dixerat de Ioanne baptiſta, Helias iam venit, id eſt in ſpiritu & virtute Heliæ: ita Chriſtus fuiſſe dicitur, & veniſſe, ſuis ſcilicet in militibus ac fidelibus, qui eius habent ſpiritum. Et ſicut dicebat Ioan. Baptiſta, Ego non ſum Helias, in perſona. ſ. ita hoc in loco dicitur, hanc nõdum eſſe beſtiam, in perſona videlicet, quia nondum in propria venit perſona Antichriſtus. ipſa autem aſcenſura eſt de abyſſo, id eſt de iniquitatis profundo, aſcendens de iniquitate in iniquitatem: ſicut ex oppoſito Chriſtus ſemper aſcẽdit de virtute in virtutem. Ad hæc in interitũ ibit, quia eum interficiet Chriſtus ſpiritu oris ſui. *Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ à conſtitutione mundi, videntes beſtiam, quæ erat, & non eſt.* Id eſt, illo tempore cum aduenerit Antichriſtus in perſona, qui fuit & non eſt, videntes eum mirabuntur non quidem omnes, ſed inhabitãtes terram, id eſt terrenis allecti cupiditati-

ditatibus, qui sunt reprobi, quia eorum nomina non sunt scripta in libro vitę, de quo superius dictum est. Cum verò dicatur hos in admirationem trahendos, hoc est, eum vniuersi in persona suscipient, qui prius eum in spiritu & membris suis exceperunt.

Terreni & carnales Antichristum sunt suscepturi.

Secunda pars.

Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Id est hoc loco conferetur interpretatio, quæ quidem sapientia haudquaquam vacat. Quæ verò illa sit, sequitur. *Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt.* Septem hæc bestiæ capita eius vniuersa capita significant. Nam crebrò diximus septenarium numerum vniuersitatem significare. Per septem quoque montes vniuersi designantur sublimes in Antichristi synagoga, quibus insidet mulier. Et hi primi sunt Antichristi eius apostoli, primitias spiritus Antichristi habentes, sicut apostoli Christi, primitias spiritus eius habuerunt. Et super hos dicitur mulier

Antichristi potiores ministri mõtes ac reges dicuntur.

ſedere,quia eorum cõſentiet doctrinę, eò ꝙ inter Antichriſtos primores ac ſublimiores habebũtur. Quã ob rẽ nõ modo montes propter ſublimitatem & elationẽ,ſed & reges dicuntur propter regnũ & imperiũ, quia cũ Antichriſto regnabũt.Senſus igitur eſt, queãdmodũ in Chriſti eccleſia capita,& in ordine priores ſunt apoſtoli Chriſti, vt 1. Cor.13.dicitur:ita ſua habebit Antichriſtus capita.i. ſuos pſeudoapoſtolos : & iã habuit ab initio ſeculi,vt iã dictũ eſt eũ fuiſſe.Hinc ſubdit: *Quinq; ceciderũt: vnus eſt: & alius nondum venit: & cũ venerit,oportet illum breue tempus manere.* Quandoquidẽ huius mũdi ætas(vt antea diximus)in ſeptẽ diuiditur ætates: oſtẽdit quomodo qualibet in ętate aliqui fuerit Antichriſti ſiue eccleſię perſecutores & impij:de quibus in primis dicit quinq; lapſos fuiſſe.i. pertrãſiiſſe omnes,ac mortuos eſſe,qui Antichriſti ſpiritum ad quintam vſque ætatem habuerunt ac regnarunt.Sicut enim ſtatim à mundi initio fuit eccleſia , ac regnum Chriſti Ieſu : ita & diaboli regnum ſiue Antichriſti. Vnus autem eſt

Ab initio mundi fuit diaboli regnũ.

rex

rex hac in sexta ætatę post Christi aduentum, quia adhuc imprę sentiarum ęst Antichristorum cœtus, qui Christi ecclesiam ad Antichristum vsque persequentur. Ipse autem septima in ętate veniet: & cum venerit, oportet illũ breue tempus manere, id est regnare: quia vt sæpius dictũ est, solum per tres annos cum dimidiato regnaturus est: necessumque erit eius abreuiari dies. Sensus igitur est, Antichristi regnum ab initio mundi extitisse, quia omni in ætate fuit ecclesiæ Christi persecutio: & quod est, & semper erit illius regnum, quia non deerunt persecutores ecclesiæ Christi ad consummationem seculi vsque: quos omnes per septem reges intelligit. *Et bestia quæ erat, & non est.* Id est Antichristus præcipuus. *Et ipsa octaua est, & de septem est.* Id est septimus: & octauus est, id est regnabit in septima ætate, & vsque ad exordiũ ætatis octauæ, & quia vnius finis erit, & alterius initium, septimus & octauus dicitur. quasi dicat, eius expleto tempore illico instabit iudicium, quia erit ætas octaua.

Quo septim⁹ & octauus dicitur Antichristus.

Si verò percõteris quid demum illi incidet, sequitur: *Et in interitum vadit*. i. In gehennam præceps corruit. confestim enim sequetur iudicium. Mundi autem ætas in octo sic partitur ætates.

Septẽ mũdi hic describũtur ætates.

Prima ætas ab Adam vsque ad Noe, in qua ætate tempore Noe perierunt impii diluuio.

Secunda à Noe vsque ad Abraham, & tunc corruerunt reprobi cum ædificaretur turris Babel, per linguarũ confusionem, ac eorum dispersionem.

Tertia ab Abraham ad Moysem vsque: & ea ætate multi ceciderunt in ciuitatum euersione, vt reges Sodomæ & Gomorrhæ.

Quarta à Moyse vsque ad Babylonicum exilium. Tunc autem ceciderunt reges Israel & Iuda impii, quia tũc per exilium Babylonicum desierunt esse reges, & in Assyriorum manus captiui venerunt.

Quinta à Babylonico exilio ad Christum vsq; qua ætate, tempore videlicet Maccabæorum, impij Græcorum reges euerso Antiocho ceciderũt. Et quia in vnaquaq; prædictarũ ætatũ, impii reges

ges ceciderunt,inquit quinq; cecidisse reges.

Sexta ætas à Christo vsque ad Antichristũ: & quia hac in ætate adhuc tyranni,Turcæ,hæretici, sæuissimè Christi ecclesiã persequũtur,ideo nõ dicuntur cecidisse,sed dicitur vnũ superesse.

Septima ætas ab Antichristo ad proximum Christi ad iudicium aduẽtum. Et illa ętas exiguum temporis spatium durabit,quia ad mortẽ vsque Antichristi: & tunc erit octaua ętas,quę nouissima erit: quia tunc erit seculi consummatio. Quanquã verò in hac ætate octaua personaliter minimè sit Antichristus,tamẽ circa mũdi finẽ eo cõtrito,ac eius suscitato spiritu in gẽtibus Gog & Magog,(vt 20. cap. dicitur) post silentij & pacis tẽpora soluto satana adhuc excitabitur reproborũ cœtus, qui dirissime in Christi ecclesiam desæuiet,ac in sanctos. Et quia in illa octaua ætate adhuc in quibusdã regnabit membris, ideo hunc in modum septimus & octauus interpretatur,quia in septima ętate personaliter aderit : in octaua verò in membris. *Et decem cornua quæ vidi-*

Mortuo Antichristo excitabũtur impiorum cœtus.

sti, decẽ reges sunt qui regnũ nondũ accepe-rũt, sed potestatẽ tanquã reges vna hora acci piẽt post bestiã. Hi decẽ reges, eorũ oĩm regum typum gerunt, qui Antichristo veluti cornua capiti adhærebũt. Et reges dicuntur, quia multi erũt tũc temporis eis consentiẽtes, eò q fiet discessio à Romano imperio circa Antichristi tempora, vt 2. Thess. 2. dicitur. Et sic diuiso ac secto Romano imperio, multi erunt reges Antichristo adhærẽtes. Non erunt hi reges, quia solus Antichristus se regẽ iactitabit & dicet: sed potestatem tanquã reges habebũt post bestiam, id est Antichristum. *Hi vnum consilium habent, & virtutem & potestatem suam bestiæ tradent.* Horum itaque vnicum erit consilium, quia Vnius erũt regis, cuius honori non parum studebunt: ideo in vnum coincident, & sic vnicum erit consilium. Omnem autem virtutem & potestatem ipsi Antichristo tribuent, ipsum totius mundi monarcham decantantes.

Discessio à Romano imperio futura.

Tertia pars.

HI *cum agno pugnabunt.* quia Antichristo tribuent quæ soli Christo Iesu asscribenda sunt. Et *agnus vincet illos, quoniã dominus dominorũ est, & rex regum: & qui cum eo sunt electi: & vocati, & fideles.* Sicut suis cũ regib⁹ pugnaturus est Antichristus cõtra Christũ, ita Christus cũ suis electis pugnabit cõtra eũ: & demũ vincet agnus. i. Christus: tametsi ad tempus impiis Antichristus vicisse videatur. Quam victoriã operabitur Christus suorum electorũ ministerio: quãobrẽ ipsis ministris est ministerialiter adscribẽda victoria. neq; enĩ q plãtat, neq; q rigat, est aliquid, sed q incrementum dat deus. Vnicum verò superest, quòd. s. dei sumus adiutores siue cooperatores. *Et dixit mihi: Aquæ quas vidisti vbi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ.* Hoc ex textu manifestò liquet (vt superius plu-ries diximus) aquarum multitudine & copia, populi multitudinẽ ac numerositatem adumbrari. Meretrix autem, impiorum ac reproborũ est collectio, vt prius dictum est: & ciuitas illa magna Babylon omni abominatione

Christus cum suis electis cõtra Antichristũ pugnaturus.

plena sedere dicitur vbi sunt aquæ mul tæ, id est ex multis populis & linguis cõ flata est. *Et decem cornua quæ vidisti, hi odient fornicariam, & desolatam faciẽt illã, & nudam, & carnes eius manducabũt, & ipsam igni concremabunt.* Id est, decẽ reges & vniuersi qui primo Antichristi doctrinæ adhærebunt, eius per euãgelium cognitis abominationibus, & mulieris meretricis, id est eius congregationis totius, videntes se vnà cũ illa perituros, odio prosequẽtur, & eius cõtẽnent doctrinam & authoritatẽ: fietque schisma in Antichristianorũ cõgregatione: sic tandem eius sequetur desolatio & exitium significatum quidem cũ inquit eos eius carnes manducaturos, ac igni concrematuros. Est autẽ hyperbolica locutio, quasi dicat, hac facta sectione in ei⁹ regno aut synagoga, mox euertetur & funditus euelletur, quia omne regnũ in se diuisum desolabitur. Ipsi enim mutuò sese corrodẽt ac mordebunt, sicq; tandem consumẽtur. Sed forsan inquires, qui fiat vt qui primò adhæserũt Antichristo, ab eo sic desciscant eum contempturi? Vnde quidem

Schisma ĩ Antichristianorũ cœtu futurum.

id fiat,

id fiat, sequitur, dei.s.decreto æterno. *Deus enim dedit in corda eorum vt faciant quod placitum est illi, vt dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba dei*.i.deo permittente, & eorum corda excæcāte atq; indurante, illi reges impij bestiæ fauebunt, siue Antichristo, cui regnum conferent, eidē omne attribuentes regiam authoritatē. Hoc verò tantū ad tēpus erit, quòd scilicet ei faueant, idq; donec cōsummentur verba dei.i.compleantur, quæ de futuro ecclesiæ statu reuelata sunt. q.d. sub finem ei contrariabuntur, secundū dei æquā prouidētiam, decretumq; æternum. *Et mulier quā vidisti, est ciuitas magna quæ habet regnum super reges terræ.* Quemadmodū Hierosolyma ciuitatis & ecclesiæ dei typ⁹ est, siue in Christo cōgregationis: ita in scriptura è regione Babylō typ⁹ est ciuitatis diaboli, & factæ per eū cōgregationis, & in eum, quā meretricem mulierem vocat Ioannes, quæ regnare dicitur super reges terræ id est terrenos homines, voluptatibusq; deditos.

Babylon ciuitas diaboli typ⁹.

Finis decimiseptimi capitis.

CAPVT XVIII.

Summariè obseruanda.

Primùm Babylonis casus ac meretricis ruina pronunciatur.
Secundò omnium eius filiorũ, & assectatorũ conquestus ac ploratus describitur.
Demum omnes sancti ad exultationẽ conuocantur.



T post hæc vidi aliũ angelum. A priori scilicet diuersum, id est Christũ, qui hunc in modũ describitur. *Descendentem de cælo,* quia à patre exiuit, & venit in mũdũ: & à summo cælo egressio eius. *Habentem potestatem magnam.* Ipsi enim data est omnis potestas in cęlo & in terra. *Et terra illuminata est à gloria eius.* Ipse enim est lux mundi, & omnẽ illuminat hominẽ venientem in hũc mundũ. Ex hac angeli descriptione videtur Christus intelligendus, qui

Lux mũdi Christus.

Ioanni

Ioanni apparuit in angeli forma. *Et exclamauit in fortitudine.* Id est vehemẽter ac constantissime, dicens: *Cecidit cecidit Babylon magna.* Gemina repetitio vehementẽ indicat assertionem, ad ciuitatis ruinam & exitium explanãdum. hoc itaque nuncio vt plurimũ solantur pij atque roborãtur, ne Antichristi tẽpore in mediis etiam persecutionibus animũ despõdeãt. Alludere autẽ videtur ad illud Esa. 13. vbi vaticinatur Esaias illã terrenã Babylonẽ vãstãdam & euellendã, mõstris quoq; solitudinũ inhabitãndam. Sic & Ioannes de spiritali Babylone spiritualiter lapsura prę nunciat ab angelo admonitus: *Et facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immũdæ, & odibilis.* Id est, eius nouissima fient deteriora prioribus, quia spiritus immundus assumet septem nequiores se, id est dæmoniorum vniuersitatẽ, qui habitabũt siue regnabunt in illa ciuitate magna Babylone: vt sicut deus habitat in electis, ita dęmon in reprobis. Et quemadmodũ cũ duo sunt vel tres cõgregati in nomine

Sicut deus habitat in electis, sic dæmon in reprobis.

Christi tūc ī medio eorū est Christus:
sic & in instituto vbi in Antichristi no
mine congregati sunt, in medio eorum
est dæmonū caterua. Sicq; est custodia
omnis immundi spiritus, & omnis vo-
lucris immundæ, id est dæmonū; quos
Dæmōes dicuntur volucres cæli. volucres cæli vocat Christus Luc. 8. eò
quòd secus viam semen cadens come-
dant, tollentes de audiētium cordibus
verbum ipsum, ne credant. Quia vero
maximè verbū dei tollent de cordibus
ciuium huius ciuitatis Babylonis, mē-
dacia & Antichristi doctrinā seminā-
tes: ideò custodia dicitur esse dæmonū
volucris immūdæ & odibilis nomine.
*Quia de vino fornicationis eius biberunt om
nes gentes: & reges terræ cum illa fornicati
sunt: & mercatores terræ de virtute delicia-
rum eius diuites facti sunt.* Hæc eius con
demnationis est caussa potissima, quòd
omnibus ferme imposuerit nationib9.
Eius enim perditæ ac deploratæ vrbis
tū doctrinæ instituto, tū falsæ religio-
nis exemplo, potauit dæmon oēs gen-
Duplex fornicatio. tes, eò ꝙ à vero dei cultu desciuerunt:
& sic fornicati dicūtur per idololatriā
reges terræ siue terreni cum ea, eidem
consen-

consentientes. Et non modo de spirituali, sed etiam corporali fornicatione intelligendum videtur. sequitur enim ꝙ mercatores qui quicquid deliciarum est, etiam ab extremis terrę aduehunt, diuites facti sunt de virtute deliciarũ eius, vt scilicet facerent satis eius deperditæ ciuitatis voluptatibus & luxui. *Et audiui aliam vocem de cælo dicentem, Exite de illa popule meus, vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis: quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum, & recordatus est dominus iniquitatum eius.* Docet eius ciuitatis àc ciuium eius vitandum commercium ac sodalitium: quia qui delictorum particeps est, & suppliciorum iustè debet esse. Tempus autem instare quo ab ea recedendum sit, ostendit, dicens, quoniam peruenerunt eorum peccata vsque ad cælum, id est nimium ac supra modum aggrauata sunt, nilque adeo nisi vindictam expectant. Et ideo dominus recordatus dicitur iniquitatum, quia de his vult iudicium ac vindictam facere. *Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis.* Non quidem

Impiorũ vitãdũ sodalitium.

facto malum docet reddendum, sed iudicio, quasi dicat, illam iudicate animaduersione dignam, vt quemadmodum illa de vobis sinistrè iudicauit, de congregatione scilicet electorum, ita vos electi iudicate, palamque eam fore impostricem docete. *Et duplicatæ duplicia secundum opera eius.* Id est, secundum eius deteriora opera eam acrius diiudicate affligendam. *In poculo quo miscuit vobis, miscete illi duplum.* Id est, decernite ac iudicate hanc reproborum ciuitatem dupla proportione affligendam supra quàm vos afflixit, æterna videlicet, quæ dupla est in ordine ad temporalem, qua reprobi electos afflixerunt. quasi igitur diceret, Vos electi bono & æquo excipite animo ab his reprobis inferendas tribulationes, quia transitoriæ & perfunctoriæ sunt. Hi autem reprobi duplum recipient, gehennam videlicet æternam. Quòd proinde sic futurum sit, & à vobis de ipsis iudicandum, sequitur causa

Malũ facto non reddendũ sed iudicio.

Dupla proportione affligendi reprobi.

caussa: *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Id est, Iustum quidem est ac consentaneum, vt maius tormentum ac supplicium maioribus correspondeat deliciis. Quapropter tantum date, id est, quanto digna sit supplicio, iudicate secundum quòd in deliciis fuisse eam coniiciatis. Secundum enim quantitatem delicti debet esse & plagarum modus. Quomodo autem in deliciis fuerit, sequitur, *Quia in corde suo dicit, Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.* Hæc in corde dicere, mentis elationem significat, simul ac præsumptionem siue iactantiam: & ex illius verbis liquidò constat. In primis inquit hæc meretrix mulier: Sedeo vt regina, regnans scilicet in impiorum cordibus, quos ipsa sua impostrice seduxit doctrina. Vidua non sum, id est, sponsi loco semper amatorem habeo, non vnicum, sed plures amatores scilicet impudicos. Omnes etiam reges terræ, vt prædictum est. Sicut enim ecclesiæ Christi nun-

Mai⁹ tormētū maiorib⁹ corrēspōdere debet deliciis.

Mentis elatio.

quam deerunt membra ita nec, huic reproborum cœtui. Et luctum non videbo. Hæc impiorum congregatio securitatem sibi, ob religionem, pietatem, atque potentiam pollicetur: quàm verò vana sit hęc securitatis pollicitatio, cómonstrat diuus Ioannes sequenti in textu dicens.

Quare impij sibi securitatem polliceātur.

Secunda pars.

IDeo in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis est deus qui iudicabit illam. id est, illico cum dixerint pax & securitas, repente fiet interitus, tū corporalis, designatus quidem morte, fame, & luctu: tum etiam spiritalis in anima, qui quidem per ignem significatur æternum, quo exuretur hæc impiorum congregatio. Ex prædictis autem concludendum, solos huiusmodi impios sibi hoc in mundo securitatem polliceri, dicentes: Moram faciet dominus meus. Sed fortis ac præpotens est deus, qui hos omnes impios in momento, in ictu oculi iudicabit ac condem-

Soli impij sibi hoc in mūdo securitatem pollicentur.

condemnabit. In vna enim die veniét plagæ eius, id est omnigena calamitatum genera. *Et flebunt & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in delciis vixerunt, cum viderint fumum incendij eius, longe stantes propter fumum tormentorum eius.* Vt horrendum illud Babylonis nobis ob oculos ponat exitium diuus Ioannes, illius regni proceres plangere effingit, qui prius sibi ipsis pollicebantur luctum nusquam futurum, dicentes: Luctum non videbo. Flebunt autem qui cũ hac meretrice muliere lasciuierint, quia cum ea fornicati, pœnæ quoque peccati participes effecti sunt. Videntes igitur fumum incendij eius id est æternum ignem ad eam cruciandam paratum, flebũt super eam, propter se scilicet, quia cum ea scortati sunt, & pari damnandi iudicio. Simulat insuper Ioannes eos lõgè stare à tormentis, nõ quidem loco, sed animo eius tormenta (quorum non erunt expertes) non parum abhorrentes: sicut qui ad patibulum pertrahitur, animo procul stat, quia illud abhorret, ac viribus vniuer-

Longè stare.

ſis nititur euadere. Demum & eos effingit eius ruinam repẽtinam & inopinatam deflere, vt ſequitur: *Dicentes: Væ, væ ciuitas illa Babylon magna, ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum.* Id eſt, Breui tempore ac in momento venit tua & perditio & euerſio. Non vſque adeo tamen hi impij ſuper Babylonis deſtructione, quã ſeipſos ac damna propria deflebũt ob illius euerſionem incidentia. Maximè autem mercatores & negociatores flebunt, quia euerſa Babylone nulli ſupererunt impij quibuſcũ in negocium mittant, aut permutent, ſuas inſuper merces ad delicias vendant. hinc ſequitur. *Et negociatores terræ flebunt & lugebunt ſuper illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius.* Terræ negociatores dicuntur, qui tantum ea vendunt quæ delicijs inſeruiunt, & arma ſunt ad peccandum, vt ſequitur: *Merces auri & argenti, lapidis precioſi, & margaritæ, & byſſi.* Id eſt, lini candidiſsimi. *Et purpuræ & ſerici, & cocci.* Id eſt precioſarũ veſtium. Coccum enim appellat granũ tinctorium, & pro

& pro purpura, eaque quam vulgo ſcarlatam vacant, ſumitur. In his igitur mulieris huius luxus deſignatur in veſtium ac ornamentorum ſumptu & precioſitate. Secundò eius declaratur luxus in vaſis domeſticis. *Et omne lignum thyinum*. Id eſt, id ex quo domus vtenſilia confecta ſunt, vti, menſæ, arcæ, ſcabella &c. id genus. Lignum ſiquidem eſt quod thyinum dicitur, illudque precioſum, naſcens in Ophir: & ingẽtis precij de hac cauſſa rex Hyrã (vt tertij Reg. 10. dicitur) miſit ad Salomonem. *Et omnia vaſa ebo ris, & omnia vaſa de lapide precioſo, & æramento, & ferro, & marmore.* Hæc omnia vanitati inſeruiunt: hinc eorum mercatores dicuntur iure mercatores terræ: & qui hæc emunt ad luxum & faſtum huius mulieris meretricis ſunt membra. Tertiò eius deſcribitur vanitas in odoratu, vt ſequitur. *Et cinnamomum & amomum, & odoramentorum, & vnguenti, & thuris.* Hæc meretricis peculiaris eſt cõſuetudo, vt contra eius nimiã fœditatẽ ex peccatorum maculis & ſordibus

Lignum thyinum precioſũ.

contractam,omni odoramentorũ vtatur genere. Quartò eius describitur superfluitas in cibo & potu, vt sequitur. *Et vini, & olei, & similæ, & tritici.* Quanquam triticum & simila idem esse videantur, aliqua tamen est differentia,quia simila flos est farinæ triticeæ,quo denotatur eius nimium studium ac in victu curiositas.Demũ eiusdem superfluitas in equis & seruis describitur,sequitur enim. *Et iumentorum & ouium & equorum & rhedarum.* Id est leuium curruum ad vehendos homines, sunt merces eorum.Addendus quidem est semper his genitiuis merces eorum,mercatorum scilicet:sic legendo,merces eorum sunt odoramentorum, iumentorum &c. & vniuersa hæc ad fastum ac luxũ meretricis huius. *Et mancipiorum & animarum hominum.* Hi mercatores mancipia vẽdunt, id est eos seruos qui in bello manu capti sunt,& in seruitutem ideo redacti,id est vendunt animas hominum Iste est omnium aliarum merciũ fructus, quia huiusmodi mercatores præ lictas merces vendentes,quę nullatenus

Simila et triticum quomodo differant.

Mãcipia vnde dicta.

Animas hominum vendere.

latenus nisi ad luxum, fastum, ac vanitatem accommoda sunt aut inseruiũt, animas diabolo vendunt, earum rerũ deliciis allectas. Ex prædictis concludendum, illos mercatores peccare, ac damnationem sibi acquirere, qui hæc omnia perquirunt, & venalia exponũt quæ solã spectant voluptatẽ & vanitatem, & quæ visum olfactum & gustum oblectant ac demulcent, de quibus ordine diximus. *Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius iam non inuenient*, Subaudiendum mercatores vt ea vendant, quasi dicat. Omnes tuę deliciæ repentè euanescent, & sicut fumus deficient. Per poma enim & pinguia quæ citò putria efficiuntur & redduntur, huius mundi deliciæ adumbrantur. *Mercatores horum.* bonorum scilicet, vel harum mercium, *Qui diuites facti sunt*, merces suas vendentes illi meretrici mulieri. *ab ea longe stabunt*, animo scilicet, vt prædictum est. *Propter timorem tormentorum eius flentes ac lugentes, & dicentes. Væ væ ciuitas illa magna quæ amicta erat*

Poma quid significent.

byſſo & purpura & cocco, & deaurata erat auro, & lapide precioſo, & margaritis, quoniam vna hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ. quaſi dicat cum Paulo, Quem fructũ habuiſtis in illis in quibus nunc erubeſcitis? Momentaneum fuit quod delectauit: æternum vero erit quod cruciabit. Non autẽ ſoli mercatores qui ſuper terram ſunt plãgẽt & flebunt ſuper eam, ſed etiam & illi qui nauigant mare, vt ſequitur: *Et omnis gubernator, & omnes qui in lacum nauigant, & nautæ, & qui in mari operãtur, longè ſteterunt, & clamauerunt videntes locum incendij eius, dicentes: Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ? Et miſerunt puluerem ſuper capita ſua.* Id eſt, Quilibet ille qui nauigiis mare traiicit, & cum illa Babylone magna negocium habuit, animo procul ab ea ſtans, ad eius horreſcit damnationem: & vt eam effugere queat, puluerem ſuo capiti imponit, pœnitentiam agens. Sed ſera eſt, & infructuoſa huiuſmodi impiorũ hominum pœnitentia, qualis fuit Pharaonis, Eſau, Antiochi, & Iudæ proditoris. *Et clamauerunt flentes & lugen-*

Ponere puluerem ſuper caput.

te

tes, dicentes: Væ, væ, ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes qui habebant naues in mari, de preciis eius, quoniam vna hora desolata est. Ex his omnibus habes quos diuus Ioannes ad lugendum Babylonici regni interitũ nõ paruãq; ruinã inducit, maximè reges, id est tyrãnos, negociatores, ac naucleros præ cæteris recensere, eò q huiusmodi vt plurimũ superfluæ inseruiant cupiditati, ac infamulentur. Armentariorum autem aut pastorum, ac eorum qui rus exercent, nõ meminit, quia simplicioris vitæ sunt officia, & quæ humanæ vitæ vsui sunt necessaria. Post hanc autem impiorum non paruam deplorationem sequitur sanctorum exultatio, ac piorum super Dei iusto iudicio, ad quam omnes iustos angelus inuitat dicens.

Qui potissimum suæ inseruiant cupiditati.

Tertia pars.

EXulta super eam cælum, & sancti apostoli et pphetæ, quoniã iudicauit de⁹

iudicium vestrum de illa. Omnem itaque sanctorum cœtum, siue eorum qui iam sunt in cælo, siue qui super terram sunt, exhortatur angel' ad exultationem super æquissimo Dei iudicio. Lætabitur enim iustus cum viderit contemptus Dei vindictam, vt præmisimus quemodo exoptent vindictā fieri. Cum autem fiet, erit omnium exultatio maior. Videntes omnes Christi inimicos eidem subditos, ab eoque deuictos, ac in barathrum detrusos, exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, id est mansionibus æternis. *Et sustulit vnus angelus lapidē quasi molarem magnum, & misit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltrà iam non inuenietur.* Hac profectò comparatione subitaneam ac repentinam irreparabilémque Babylonici regni ruinam angelus declarat, quasi dicat. Subitò ac irreparabiliter ruitura radicitúsque casura est, quemadmodum molaris in mare deiectus amplius non apparet, ita illius nulla erit redemptio ab inferis. Ad id verò alludere videtur quod

In quo exultabunt sancti.

Nulla in inferis redemptio.

Hierem.

Hierem.51. ſcribitur de Chaldaica Babylone,vbi ita inquit: Aſcendit ſuper Babylonem mare,multitudine fluctuũ eius operta eſt.& in fine capitis.16.dicitur, Cúmque compleueris legere librum iſtũ, ligabis ad eum lapidem, & proiicies eum in medium Euphratem, & dices: Sic ſubmergetur Babylon, & non conſurget à facie afflictionis quã adduco ſuper eam, & diſſoluetur. *Et vox citharœdorum & muſicorum, & tibia canentium & tuba, nòn audientur in tè amplius.* Id eſt, gaudium in luctum & ſummam conuertetur in mœſtitiã: quamobrem vę vobis qui ridetis,quoniam flebitis: & beati qui lugent,quoniam ipſi conſolabuntur. *Et omnis artifex omnis artis non inuenientur in te amplius.* Id eſt, Omnigenis priuaberis deliciis, neque aliquo tibi opus erit artifice. *Et vox molæ & non audietur in te amplius.* Id eſt,nullum triticum aut ſimila poſthac in eſum tibi moletur. *Et lux lucernæ non lucebit in te amplius.* vbi nonnunquam tibi ad conſolationem & ſolamen aut lucernæ aut ſolis claritas affulgebat,nũc poſthac den- *Sol.*

fiſsimis eris hinc inde circunſepta ac vallata tenebris perpetuis. *Et vox ſponſi & ſponſæ non audietur in te.* Vbi aliquando ad tui conſolationem nuptialia cantica decantata ſunt, & tunc vox ſponſi & ſponſæ audita, poſthac huiuſmodi haudquaquam erunt, ſed horum loco erit fletus, maximúſque ſtridor dentium. *Quia mercatores tui erant principes terræ.* Tres in medium ac lucem profert rationes ruinæ & exitij huius Babylonici regni. Prima eſt inſatiabilis mercatorum cupiditas & auaritia, quam & hodie experimur. Videmus enim eos opibus principes præire, atque longe ſuperare, ac ſuis permutationibus ac negociis vſuriſque quoſuis opprimere. Secunda ſequitur ratio: *Quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes:* Id eſt, tuis mendaciis, impoſturis, dæmoniorum doctrinis mundum intoxicaſti & faſcinaſti, ita vt non obedierint euangelio aut veritati. Veneficium enim hoc loco pro ſpiritali intoxicatione ſumi videtur. *Et in ea ſanguis prophetarum & ſanctorum inuentus eſt, & omnium*

Dentium ſtridor.

Tres exitij regni Babylonici potiores cauſæ.

omnium qui interfecti sunt in terra. Id est, Super hanc meretricem siue reproborum collectionem veniet omnis sanguis iusti effusus ab Abel & origine mundi ad consummationem seculi vsque. quasi dicat paucis constringens, Vsque adeo seuera erit diuina vltio in hãc reproborum collectionem, vt rea omnium martyrum pro Christo occisorum ac Dei nomine non iniuria videatur. Exoremus itaque deum optimum maximum, quatenus huius deploratæ ciuitatis fines exeamus: ne cũ eius pereamus ciuibus, sed supernõrum ciuium sua gratia cõsortes efficiamur. Amen. Reprobi rei effusi sanguinis iusti quomodo dicantur.

Finis capitis 18.

CAPVT XIX.

Summariè obſeruanda.

Primùm electorum exultatio ſuper Babylo nis exitio deſcribitur.

Secundò ad iudicium veniens Chriſtus ſuo cum exercitu, typis figuratur aptiſſimis.

Demum Antichriſti & ei⁹ pſeudoprophe tarum ruina ac condemnatio declaratur.



Oſt hæc audiui quaſi vocem turbarum multarum dicẽtium: Halleluia, Laus & gloria & virtus deo noſtro eſt. Hæc eſt gratiarũ actio multarum turbarum, id eſt ecclesiæ tum triumphantis, tum militantis, quæ vnà laudibus cumulant deum Antichriſto ipſo deuicto, ſuiſque ſatellitibus extinctis. Prædicant quoque de meretricis magnæ damnatione iuſtum Dei iudicium. Sicut enim olim deſtructa & euerſa veteri Babylonia ſuo cum principe Bal-

thasaro à Medorum regib⁹, restauratum fuit templum ac nouatum in Hierusalem, & gratias Deo egerunt Iudæi: ita omnes Christiani contrita ipsa meretrice magna Deum laudibus efferent, dicentes: Halleluia, id est laudate dominũ. Est autẽ vox Hebręa ab hillel dicta, quod est laudauit & iah, quod est diuinum nomen, soletque verti deus vel dominus. Hac itaque voce pij inuicẽ ad deprædicandas magnificas Dei laudes perpetuò cohortantur & vtuntur, quemadmodum apparet in multorum Psalmorum titulis, cum in eis magnifica Dei opera enumerantur. Dicunt insuper: Laus & gloria & virtus Deo nostro est, id est debetur. Sed quamobrem? Sequitur ratio. *Quia vera & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terrã in prostitutione sua, & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius.* Efferunt laudibus Dei vera iudicia & iusta: à quibus quæcũque aliena sunt, nec vera nec iusta esse aut rectè dici possunt. Potissimum autem vera esse deprehendent in vltione & vindicta

Halleluia

Vnde meretricis magnæ dãnatio.

meretricis magnæ. Digna quidem nõ paruo supplicio, in primis quia corrupit terram sua prostitutione, id est sua pestifera doctrina omnes carnales ac terrenos homines intoxicauit, idola scilicet & immunditias quarũuis nationum & scelera edocens, amans & sequens. Secundò quia innoxium sanguinem instar aquæ fuderat. Hinc dicitur deum vindicasse suo iudicio suorum seruorum sanguinem &c. *Et iterũ dixerunt Halleluia.* Gemina hęc laudis repetitio maiorem exprimit exultationẽ. *Et fumus eius ascendit in secula seculorum.* Id est, Eius incendij fumus, aut æterni supplicij memoria erit in secula seculorum, & nũquam obliuioni tradetur. Sẽsus itaque est, quòd meretrix in æternum punietur: propter quod supplicium collaudant sancti deum, quia æternum est. Et hac loquẽdi phrasi scriptura perpetuos reproborum insinuat cruciatus. *Et ceciderunt seniores vigintiquatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt deum sedentem super thronum, dicentes: Amen: Halleluia.* Inuitantur omnes sancti ad lætandũ

Fumus incẽdij, quid

& exul-

& exultandum super meretricis iudicio. Per vigintiquatuor seniores quidem vniuersos reipublicæ Christianæ prefectos suum munus sedulò obeuntes intelligimus: & per quatuor animalia, omnes apostolos, ac verbi Dei ministros, qui omnes dicunt Amen, id est fiat, Laudate dominum. quasi dicat, Dign⁹ est laude æterna, quia meretricem, iudicio damnauit æterno. *Et vox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius, & qui timetis deum pusilli & magni.* Hæc est vox cælestis, quæ non modò seniores cohortatur, & quatuor animalia, sed & superstites oẽs post occisum Antichristum, meretricem quoque extinctam, ad congratulandum & vnà cum cælitibus deum deprædicandum.

Et audiui vocem quasi tubæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarũ, & sicut vocem tonitruorũ magnorũ dicentium, Halleluia, quoniam regnauit dominus deus noster omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus gloriã ei. Cum deuicto Antichristo videbunt superstites totũ orbẽ ad Christi regnũ cõuersum, ob id

quammaximè lætabuntur: quorũ exultatio vox tubæ dicitur magnæ, & aquarum multarum, quia tunc diuini nominis & fidei IeſuChriſti confeſsio erit aperta, magna & admirabilis: & maximopere exultabũt, quia ſolus regnabit Chriſtus omnibus eius inimicis prorſus deuictis & expugnatis, qui antea regnare credebantur, ac vincere. Ideo inquiunt, quoniam regnauit dominus, ſiue vicit, gaudeamus &c. Quare verò gaudendum ſit Chriſto in electis abſolutè regnãte, ſequitur cauſſa. *Quia venerunt nuptiæ agni: & vxor eius præparauit ſe: & datum eſt illi vt cooperiat ſe byßino ſplendenti & candido. Byſſinum enim ſunt iuſtificationes ſanctorum.* Aliud ſponſalium tempus eſt, aliud nuptiarũ: quia in ſponſalibus tãtum fit de futuro promiſsio. Sic hac in vita ſumus in ſponſalium tempore, quia nobis datur arra ſpiritus ſancti & pignus. Tunc autem nuptiarum tẽpus aderit, quando completè & numeris omnibus abſolutè Chriſti eccleſia (quæ eſt electorũ cõgregatio) Chriſto coniungetur, corpore quidem & ani-

Vox tubæ & aquarum multarum.

Hac in vita in ſpõſalium ſumus tempore.

mas

ma, quæ absoluta coniunctio nuptiarum tempus dicitur : & sic tempus est generalis resurrectionis. Cum itaque dicerent, Venerunt nuptiæ agni, hoc est quia breui postea instabit iudicium ac generalis resurrectio. Sed ante nuptiarum tẽpus, siue iudicij diem, vxor & Christi sponsa præparauit se bonis fidei operibus, Deo cooperante. Hinc dicitur quòd datũ est illi à deo scilicet, vt cooperiat se byssino splendenti & candido : atque postmodum declarat byssinum iustificationes esse sanctorum, quasi dicat. Dei dono & Christi merito effectum est vt ecclesia Christi dum adhuc esset in via, iustificaretur in primis fide, subinde bonis operib⁹: vnde tandem in die nuptiarum eius sponso coniungetur. *Et dixit mihi, Scribe, Beati qui ad cœnã agni vocati sunt.* Non quidem ad esum escarum corruptibilium, sed ad æternæ beatitudinis cõuiuium, gaudij quoque immarcescibilis vocabuntur à Christo, dicente: Venite benedicti patris mei, &c. Sed quid ꝙ cœnam vocat nuptiarũ? Hac in re alluditur cœnæ quæ sub vesperã

Quare nuptiæ agni cœnæ cõparantur.

esse solet, sic & nuptiæ agni in mundi fine. *Et dixit mihi.* Ioanni scilicet prædictus angelus. *Hæc verba Dei vera sunt.* quasi dicat. Bene equidem debet sperare Christi sponsa de sponso suo, eiusque promissionem æquo animo expectare: quia hæc sunt verba Dei & promissa, qui quidem verax est, & mentiri non potest. *Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum, & dixit mihi: Vide ne feceris: Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium Iesu. Deum adora.* Conspiciēs diuus Ioannes hūc angelū typum Christi gerere, cui latriæ honor debetur ratione diuinitatis humanitati coniūctæ, hunc angelum voluit adorare, eadem qua adorandus est Christus adoratiōe: quod ne efficeret prohibuit angelus, ne scilicet ipsum adoraret, sed deū & agnū quorū nuncius erat, addens rationem quare inhiberet, dicens: Conseruus tuus sum &c. quasi dicat. Quemadmodum sum angelus, id est nuncius, ita tu & omnes ministri verbi Dei, qui testificantur de domino nostro Iesu Christo: quapropter

Christo debetur latriæ honor.

pter

pter non sum adorandus ea adoratione qua me vis adorare. Hoc ex loco cõsurgit scrupulus, an scilicet Ioãnes errauerit ipsum volens adorare. Quòd si non, quare eũ reprehendit? Si autem errauerit, videtur non confirmatus in gratia, aut fide. Neque dicendum videtur eum solummodo illum reuereri voluisse, quia mutuã nõ ꝓhibuisset reuerentiam angelus, cum iubeat Paulus, fideles se inuicem honore præuenire. Mihi quidem sentiendum videtur, quòd Ioannes adorare angelum volens, sese eius submittebat voluntati, hunc in modum quidem, vt se sibi placeret: sciens ea tantummodo angelo placere quæ æqua sunt & iusta. Et absoluta haudquaquam erat adorandi voluntas, sed tantum conditionata, conditione inquam quæ omnem errorem ac infidelitatem secluderet. Et sic ab angelo tanquam errans aut inscius minimè reprehenditur, sed illuminatur ab eo, non quidem propter se, sed propter simplices quorum typus est, ne suo exemplo creaturam nude consideratam latria

Latria nõ sunt adorãdi angeli simpliciter.

Placent angelis solũ ea quæ æqua & iusta sũt.

Simpliciũ loco ĩstruitur Ioannes.

adorarēt,sed solū deū in se aut in imagine recognitum. Neque etiam absurdum videtur, ipsos angelos apostolos illuminasse etiam post pentecostes diē de nonnullis obseruandis ac agendis in ecclesia. Neque necessum fuit apostolos à die pentecostes statim omnia nouisse,sed paulatim suo tēpore,quando temporis exigeret necessitas,earum rerum notitiam. Demum conclu dit. Deum adora. Illa scilicet latriæ adoratione,qua vis me adorare. Hinc patet diuū Ioannē eū voluisse adorare illa summa adoratione quæ latria dicitur, & soli Deo debetur:quamobrem Act o. 14. dicitur Paulum & Barnabā minimè tulisse sibi diuinos exhiberi honores. Et eam ob caussam,quòd scilicet Christi esset nuncius, se non esse adorandum addit. *Testimonium enim Iesu est spiritus prophetiæ.* Id est, idem est spiritus prophetarum,& eorum qui testimonium ferunt de Christo, sicut dicit Paulus.1.Corin.12.Nemo potest dicere dominus Iesus, nisi in spū sctō. Ex quo constat hac in re angelum & Ioannem eundem habuisse spiritum.

Soli Deo debetur latriæ adoratio.

Qua

Qua de re mihi quidem videtur angelum ſimpliciter non damnare aut prohibere adorationem, ſed potius adorationis rationem.

Secunda pars.

ET *vidi cælum apertum, & ecce equus albus qui ſedebat ſuper eum: vocabatur fidelis & verax: & cum iuſtitia iudicat, & pugnat.* Vt crebrò dictum eſt, Ioanni aperitur cælum, quando arcana cæleſtia ac diuina myſteria eidem reuelantur. Cum autem hactenus de Babylonis ruina dictum ſit, & poſthac de futura Hieruſalem gloria habendus ſit ſermo, ideo cælum aperiri dicitur. Declarandum autem myſterium ſequitur, Equus albus, & ſedens ſuper eum. Superius quidem dictum eſt quis ſit equus albus, congregatio nimirum omnium apoſtolorum & eorum qui de Chriſto Ieſu perhibent teſtimonium. Seſſor autem Chriſtus eſt, qui verax eſt in dictis, & fidelis in promiſsis. Et quia fidelis, ideo cū iuſtitia pugnat. Et quia verax, iudicat *Apoſtoli albo equo figurati.*

in iustitia, id est secundum veritatem. *Oculi autem eius sicut flamma ignis.* Quia hic ad iudicium veniens describitur Christus, præter id quod dictum est primo capite, is quoque datur sensus, vt oculi vt flamma ignis, iudicium sint irati & excandescentis aduersus impios & scelestos iudicis, ipsissimoque vultu vindictam præ se ferentis. *Et in capite eius diademata multa.* Quandoquidem regni diadema typus sit, edocemur eum in multis regnis ac multorum regem apparere, vt infrà videre est. *Habens nomen scriptum quod nemo nouit nisi ipse.* Id est, dei nomen tetragrammaton, quod ineffabile dicitur, eò quòd eius vim ac energiam nemo plene nouit, nisi deus. Et quemadmodum incomprehensibilis est deus, sic & nomen eius. Hoc autem nomine assumptum hominem dotauit deus: illudque est nomen super omne nomen quod dedit illi deus, vt scilicet Christus deus & homo dicatur. *Et vestitus erat veste aspersa sanguine.* Id est, Carne tincta sanguine, quia in ea pro

Oculi vt flamma ignis.

Incomprehensibile dei nomen.

nobis

nobis passus est, eaque fuso sanguine nos redemit. Christi autem humanitas vestis dicitur, eò quòd deitatis tegeret fulgorem, hominum oculis; haudquaquam conspicuum. Hinc dicit Paulus: Habitu inuẽtus est vt homo. Et ob hanc eius intinctam vestem Esaiæ.63. dicitur, Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de bosra? & rursus: Quare rubrum est indumentum tuum? *Et vocabatur nomen eius verbũ dei.* Id est, Quanquã humanã assumpserit naturam, nõ tamen desiit esse verbum Dei, & omnipotens, etsi paulo minus minutus fuit ab angelis, quia mortalis erat vt homo. Est itaque illud verbum quod fuit in principio apud deum; & est deus. *Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byßino albo & mundo.* Equus hoc in loco pro corpore sumitur. Et albus dicitur, quia non sunt coinquinata electorum corpora: alioqui regnum cæleste non ingrederentur. Sensus igitur est, Electos Dei & beatos sequi & imitari Christum debere immaculatis

Christi humanitas cur vestis dicatur.

Munda electorum corpora.

corporibus, vestitos byssino, id est iustificationibus, vt prius dictum est. *Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipso percutiat gentes,* Gladio suo, id est, verbo suo Christus damnaturus est impios: cui resistere poterit nullus: qua de re dicitur vtrinque acutus, penetrabilior omni gladio ancipiti. de hoc fusius primo in capite. Hoc autem gladio, id est eius verbo percutiet, id est damnabit gentes quæ idolis seruiunt, aut factis deum negant. *Vt in ipso percutiat gentes.* Id est, Quia hos damnare impios spiritu oris sui conueniet, eos in tartarum detrudens. *Et ipse reget eas in virga ferrea.* Id est, iudicio recto & indeflexo siue irreuocabili, quia non parcet in die vindictæ. Et sicuti virga ferrea recta est & inflexibilis, ita Dei iudicium. *Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei.* Id est, Quemadmodum qui torcular calcat, vinum exprimit è prælo: ita Christus è rigore diuinæ iustitiæ potestatem accipiet gentes iudicandi & dānādi. Hinc dicitur à patre filio datum omne iudicium

Indeflexum Dei iudicium.

iudicium:quod quidem exercens Christus, tunc dicetur calcare torcular vini iræ Dei. *Et habet in vestimento & in femore suo scriptum*, Rex regum, *& dominus dominantium.* Tunc eo iudicante mundum, ab omnibus rex deprædicabitur: Etiam secundum humanam naturam ex Dei commissione totius mundi monarcha dicetur, sicut dicebat: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Per vestimentum enim eius ac femur designatur humanitas. De primo quidem dictum est. De secundo autem, videlicet de femore ei⁹, Genesis quadragesimosexto patet, vbi pro carnali sumitur generatione cum dicitur, Cũctæ animæ quę egressæ sunt de femore eius. Sensus igitur est, vt homo Christus suo sanguine promeruit hæc & consecutus est, videlicet vt ei omnia subiiciantur finaliter. Et cum ei omnia fuerint subiecta, tunc erit deus omnia in omnibus, cum tradiderit scilicet regnum Deo patri, vt primæ ad Corinthios decimoquinto dicitur. *Et vidi vnum angelum stantem in*

Femur humanitatē Christi significat.

sole. Per hunc angelum omnis angelorum cœtus intelligitur, qui tunc parati erunt Christo parere & obsequi ad peccatorum vltionem. Et sic in sole stare dicentur, quia constantes erunt pro Christi ministerio, qui sol est iustitiæ. Ad hoc enim venient omnes eius angeli cum eo, vt eidem ministrent, iudiciúmque exequantur extremum, vt sequitur. *Et clamauit voce magna, dicens auibus quæ volabant per medium cæli.* Ad congratulandum inuitantur omnes sancti electi: qui aues cæli dicuntur, quia eorum conuersatio in cælis est. Sed ad quid inuitantur? Sequitur. *Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei, vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum & seruorum, & magnorum, & pusillorum.* Quia hic textus diuersimode exponitur ob sui non modicam difficultatem ex hac carnium regum &c. manducatione emanãtem: in primis notandum, quòd cœnæ Dei participem fieri, & ex ea edere.

Christus sol iustitiæ.

Electi quo modo aues cæli dicantur.

Quid cœnæ dei participẽ fieri.

edere, cum hoc ſpiritualiter interpretãdum ſit, eſſe in nominis Dei exaltatione, multorumque ſalute & conuerſione, quaſi in delicatiſsimo cõuiuio epuliſque ſuauiſsimis ác exquiſitis oblectari. Etenim qui impenſe geſtit & lætatur, quodammodo conuiuari dicitur & manducare, prout Chriſtus in Samaritanæ conuerſione hinc apoſtolis dicebat: Alium cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Quia igitur vltione facta impiorum ciuium & conſortium Babylonis, magna erit nominis Chriſti exaltatio, ac totius orbis ad Chriſtum conuerſio, in his magnopere lætabãtur electi & ſancti: ſatiabitur quoque eorum appetitus, quo vltionem inimicorum Dei appetunt & Chriſti. Et hunc in modum, eorum carnes manducare dicuntur, ſicut Ezechielis nono cap. ad hoc alludit dicens: Dic omni volucri, & vniuerſis auibus: Cõuenite, cõcurrite ad victimã, vt comedatis carnẽ, & bibatis ſanguinẽ. Carnes fortiũ terræ comedetis, & ſanguinẽ principum

terræ bibetis Vbi comedere & bibere idem est quod lætari super vltione aliquorũ, vnde nominis dei exaltatio,& cæterorum salus sequitur. Sensus itaque est, Omnes pios & electos Antichristo deuicto, euersaque Babylone, in qua sunt reges, tribuni, & cæte. lætari velut in lautissima & splendidissima cœna. Et ad hanc exultationem super Babylonis exitium & ruinam inuitantur cum dicitur: Venite congregamini &c. Postquam autem conuocauit ad congratulandum super illa vltione, demũ enarrat qualis futura sit ea vltio, ac Babylonis euersio, vt sequitur.

Comedere et bibere pro lætari vsurpatur.

Tertia pars.

E*T vidi bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciẽdum prælium cum illo qui sedebat in equo, & cum exercitu eius.* Prælium cuius hic habetur sermo, potissimum capitur pro eo quod sub summo erit Antichristo. Ab initio quidem contra ecclesiam fuit prælium, dicente Psalmista:

sta: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea &c. sed non vsque adeò manifestum aut ingens, sicut erit Antichristi tempore, qui cum suis regibus assęclis & satellitibus pugnabit contra insidentem equo albo, verbum Dei scilicet, vt prius dictum est, & cōtra exercitum eius, id est omnes eius ministros & electos. Tantam quoque incidet in audaciam, vt se præualiturum indubie arbitretur. Sed quidem frustra, vt decimotertio capite dictum est, Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitaté vadet. Et qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Videbitur enim impiis Antichristus in sui regni exordio vincere: sed tandem (vt sequitur) destruetur. *Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius.* Per bestiam adumbratur Antichristus, sui quoque satrapæ, licet singulari vtatur Ioannes. Etiā per pseudoprophetā singulari numero quoslibet pseudoprophetas

Contra verbū dei pugnabit Antichristus.

intellige. Hi profectò simul victi cadent & conterentur. Quis verò seductor, qui seducti, quis character, quæ imago, hæc omnia ex præcedentibus colligenda sunt. *Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* Per hos duos, bestiam scilicet & pseudoprophetam, Antichristum intellige cum vniuersis falsis prophetis & satrapis suis, qui omnes viui in infernum descendent, quemadmodum olim Dathan & Abiron contigit. Et potius hi viui mittētur in stagnum ignis, quàm alij reprobi & inobedientes. Nam sicut Dathā & Abiron plus cęteris Israelitis in Moysen & Aaronē populi duces insurrexerunt, ita ij præ cūctis in summum ducem & sacerdotem Iesum Christū insurgent; qua de rę æquū est vt quemadmodum illi consueta hominum morte minime sunt sublati, his etiā ita contingat. *Et cæteri occisi sunt gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius.* Id est, alij ab Antichristo & eius pseudoprophetis, reges scilicet, principes, tribuni, pusilli & magni,

Quare Antichristus cū vniuersis pseudoprophetis viu' in stagnum ignis sulphure ardētis mittetur.

magni, qui non vſque adeò temerariè, ſed ignorãtia ac ĩpoſtura in Chriſtũ inſurrexerunt, occidentur ad verbum ſedentis ſuper equum. *Et omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorum.* Id eſt, omnes electi & pij hanc conſiderantes vltionem, ſaturabuntur, & ſui animi deſiderium explebunt, ſicut Eſaiæ ſexageſimoſexto ſimile habetur. Et egredientur & videbunt cadauera virorum qui præuaricati ſunt in me, & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.

Finis capitis 19.

CAPVT XX.

Summariè obseruanda.

Primùm Draconis alligatio per annos mille describitur, regnũ quoque electorum.
Secundò eiusdem solutio, & aduersus dei ecclesiã pugna per Gog & Magog.
Demum eiusdem ruina, ac exterminium Gog, & Magog, extremum quoque iudicium.



T vidi angelum descendentem de cælo, habẽtem clauem abyßi, & catenam magnam in manu sua. Hic angelus, prout vult August. libro vigesimo de ciuita. capite. 7. Christus est, qui de cælo descendit per incarnationem. Et habet clauem abyssi, id est potestatem in infernum, vnde victor rediens ad superna concessit captiuã ducens captiuitatem. Ille enim fortis & præpotens est heros & princeps, de

Christus habet potestatem in infernum.

quo

quo Matth. 12. dicitur, Si fortior superuenerit &c. Expoliauit enim principatus & potestates, triumphās illos in semetipso. Et hanc super infernum habere potestatem, idem profectò est ac clauem abyssi & in manu catenam habere. *Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas.* Christus incarnatus tunc draconem apprehendit, quando dixit, Nunc princeps mundi huius eiicietur foras. Quid verò tandem sibi volunt hæc vsque adeo infamia vocabula? Hoc quidem, vt vires studium & conatus quoslibet perdendi exprimāt. Draco etenim propter apertam sæuitiam dicitur, serpens propter fallendi astutiam, quando quidem serpens omnium animātium natura sit callidissimus. Gene. 3. Hinc dominus Iesus iubet nos serpentinam imitari prudentiam. Addit insuper antiquum, quia à mundi exordio statim conditus est, sua quoque vsus astutia. Diabolus grecè dicitur, & calumniator latinè. Postremò satan, quod latinè dicitur aduersarius, eò q; Christo per omnia aduersetur.

Diaboli nomina eius vires & calliditates exprimunt.

Licet autē omnibus his appelletur nomenclaturis ob eius insignem malitiā, tamen à Christo multo fortiore ligabitur & vincietur. Sequitur enim: *Et ligauit eum per annos mille.* Hunc quidē in modum eum ligauit sua passione Christus, suam comprimens & cohibens tyrannidem, vt fidelibus nocere nōn vsque adeo libere queat, sicuti antea. Suis quidem tentationibus nocere potest, vt ignorat nullus: sed diminuta est eius virtus multorum sacramentorum virtute, à Christi passione virtutem habentium, & ab eodem institutorum, quibus muniti sunt fideles. Sensus igitur est, quòd ille draco, hoc est satan & angeli eius validissime ac potentissimè impediti sunt, ne in deū Christū, pietatem, religionem, ac pios vt ante desæuiant, donec facultas illis à deo fiat denuo ad id efficiendū post mille annos, id est vt quàm breuissime. Nam à passo Christo ad Antichristi aduentum vsque, in quo soluetur satanas, saltem fluent mille anni, cum iamque effluxerint. Desudarunt nō pauci ex veterib⁹ ad huius numeri perpen-

Ligatus diabolus.

Satā & ei⁹ angeli impediti.

perpendendam rationem ac definiendam: varie tamē interpretantur. Prior tamen intelligentia sanior & verisimilior videtur, cum ex Christi sententia habeamus, nostrum non esse tempora nosse vel momenta. Si autem determinatum tempus descripsisset diuus Ioānes, iam iudicij tempus nobis constaret, quod deus retinuit, quia de illa die nemo scit &c. *Et misit eum in abyssum, & clausit & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni.* Cum itaque vellet diabolus gentes seducere, ac in pestiferis idololatriæ erroribus simul omni flagitiorum genere detinere, & eripuit eas Christus de tenebrarum potestate, cū gētes suo vocauit merito: sicque satanas in inferni abysso clausus dicitur Christi cruce instar sigilli obsignatus, vt non seducat amplius pro arbitrio suo & vsque adeo libere sicut prius cum hominem prorsus adoriretur inermem, quem modò Christi sanguine fultum, ac sacramentis præcipue armatum inuadat. *Et post hoc oportet illum solui modico tempore.*

Nostrū nō est tēpora nosse vel momēta.

Satanas Christi cruce obsignatus.

id eſt, poſt mille annos aut amplius Antichriſti tempore ſoluetur, id eſt à deo permittetur vt amplius noceat, ad infidelitatem inducens, prædicantibus pſeudoapoſtolis, ſed modico tempore, Antichriſti ſcilicet: qui (vt crebrò dictum eſt) tribus annis ac dimidiato debet regnare: vt Chriſto perſimilis videatur, qui tanta temporis intercapedine edidit miracula ac prędicauit. *Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis: & animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum dei: & qui nõ adorauerunt beſtiam, neque imaginem eius, nec acceperũt characterem eius in frontibus aut in manibus ſuis, & vixerunt & regnauerunt cum Chriſto mille annis.* Inſpexit Ioannes ſanctorum cœtũ, qui cum Chriſto in anima regnant, & ſuper ſedes ſedere, & cum Chriſto regnare impioſque iudicare: quæ idem omnino ſonant. Regnabunt porro cum Chriſto maximè, qui propter eius teſtimoniũ decollati & mortui ſunt. Viſi enĩ ſunt oculis inſipiẽtiũ mori: illi autẽ ſunt ĩ pace. Ideo dicitur, Vixerũt & regnauerũt cũ Chri-

Ad infidelitatem demũ inducet diabolus.

Qui ſint cũ Chriſto regnaturi.

ſto

ſto mille annis, quia corpore exuti cũ Chriſto requieſcunt ſecundum animæ gloriã ad tẽpus iudicij vſq;, ante quod haud minus fluẽt q̃ mille anni. *Cæteri mortuorũ nõ vixerũt*.i. q neq; cũ Chriſto neq; ob Chriſtũ mortui ſunt, reprobi ſcilicet, ab eo quo mortui ſunt tempore nõ vixerunt, neque ſecundũ corpus neque ſecundũ animã. viuẽt autem ſecundum corpus, ſed non ſecundum animã ſpiritualiter, donec conſumnientur mille anni, id eſt aduenerit iudicium & reſurrectio generalis. Tunc enim & reprobi (ad eorum tamen maiorẽ damnationẽ) vita reuiuiſcent, æterna, ſpiritus morte morituri. *Hæc eſt reſurrectio prima. Beatus & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima.* Id eſt, Viuere cũ Chriſto, & regnare cũ Chriſto in animæ glorificatione, prima eſt dicenda reſurrectio, quia eſt ſolum ſecundũ animæ glorificationem, quæ potior eſt, hinc prima dicitur. Quemadmodum enim poſt generalem reſurrectionem futurum eſt vt animæ gloria in corpus redundet, ita non iniuria corporis glorificatio ſecunda dicitur reſurrectio.

Prima reſurrectio eſt animæ.

Secũda reſurrectio corporis.

Beatus igitur qui habet partem in prima resurrectione, id est qui iā viuit & regnat cum Christo secundum animæ glorificationem, *In his mors secunda non habet potestatem.* Id est, non eis nocebit gehenna, quia non tanget illos tormentum malitiæ, idq́; quia in æternum cum Christo (vt sequitur) regnabunt. *Sed erunt sacerdotes dei & Christi.* Id est, hi qui iam cum Christo viuunt & regnant secūdum animam, sunt dei & Christi sacerdotes, eò quòd laudis sacrificium iugiter & sine intermissione deo offerunt. *Et regnabunt cum illo mille annis.* Id est, secundū animæ glorificationē regnabūt non minus quàm mille annis cum Christo, vsque scilicet ad Antichristi aduentum & iudiciū, toto scilicet tempore euangelicæ legis, postea regnaturi corpore & anima in perpetuum.

Secunda pars.

E*T cum consummati fuerint mille anni.* Saltē adueniente Antichristi, tēpore post felicissimū illud silentij & tran-

quili-

quillitatis tẽpus. *Soluetur satanas de carcere suo.* Id est, Aduersarius omni mẽdaciorum genere vltro citroque munitus, deo permittente ad nutum penè fidelibus nocebit, sicque solui dicetur. *Et exibit & seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, & Magog.* Quatuor terræ anguli omnẽ nationẽ vniuersumque mundũ adumbrant, qui per quatuor terræ angulos vulgo designatur. quasi igitur dicat: A deo ei permittetur non modo Iudæos seducere, aut aliam nationem, sed totum orbem. Id autem fiet quorundam fauore & opera, Gog scilicet & Magog. Hæc porro non sunt hominũ nomina, sed nationum, vt potius imitandus videtur diuus Hieronymus super Ezec. 38 alio dicente hos gentes esse barbaras in intima Scythia trans Caucasum. quasi igitur dicat Antichristum horum ministerio gentes quæ sunt super terram, seducturum. Quòd verò de quam plurimis hec intelligẽdum sit nationibus, ex sequenti comprobatur textu, cum addit, *Et congregabis eos in prælium, quorum numerus est*

Quatuor mũdi anguli vniuersũ mũdum designant.

Gog & Magog nationum nomina.

sicut arena maris. Quia si fieri posset, seducerentur & electi, ideo, ex hoc subinferendum ingentem fore Antichristianorum numerũ, qui ad verbũ Antichristi conuertẽtur, cuius meminit Daniel 11. cap. sub typo regum Aquilonis. Veniet, inquit, super regem Austri rex Aquilonis in curru & equitibus & nauibus multis, & veniet in terras & inundabit & transibit. Et Zacha. 12. Congregabuntur contra Hierusalem omnes gentes terræ: Et Esa. 38. Ascendes, inquit, veluti multitudo aquarum, venies tanquam nubes vt operias terram. Gog enim & Magog sonat tectũ & intectum, siue de tecto. Gog tectum dicitur. Et hi impij dicũtur qui iustitiam simulant, hypocrisim vero ac peruicaciam tecta ac prorsus ementita pietate religione contegere nituntur. Magog verò sunt de tecto, illi scilicet qui à priorum hypocrisi seducentur, eosque imitabuntur. *Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam.* Per hæc itaque piorum designatur raritas ac paucitas, numerosaque impio-

Gog & Magog quid significent.

pio-

piorum multitudo. Nihilominus tamen ſpiritalem militiam ſiue etiam corporalem minimè deſerent pij, hoſti ceſſuri: quod declaratur caſtrorum nomine, quæ circuibunt impii, id eſt fidelium acies: ſimul & dilectam ciuitatem, id eſt Chriſti vniuerſalem eccleſiam. Cum his tamen potius congrediendum erit precationibus, ieiuniis, eleemoſynis ac lachrymis, quàm hinc inde armatis exercitibus, aut affectatis quæſtionibus ſiue diſceptationibus. Hæc enim ſunt arma contra ſpiritalia nequitiæ, quibus vtẽdum in hac fidei palæſtra. Quod ſi fecerimus, eos deuincemus dei ſuperueniente auxilio, vt ſequitur.

Quib⁹ armis impiis ſit occurrendum.

Tertia pars.

ET deſcendit ignis à deo de cælo, & deuorauit eos. Et diabolus qui ſeducebat eos, myſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, & vbi beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum. quaſi dicat: Quanquam innumera ſit impiorum, lociſque procul diſſi-

ta ac ſemota multitudo, quę tamē deo facile erit eos celeſti igne conſumere, atque paucos vnico loco poſitos. Alludere autem videtur ad ignem qui Sodomorum ciuitates, & tumultuantium caſtra in deſerto, quinquagenarios quoque regis Syriæ milites ad capiendum Heliam miſſos vorarit: licet ignis pro quibuſuis aliis ſuppliciis & vltione diuina in ſcriptura vulgò ponatur. Ex contextu autem videtur quòd duplici contritione conteret eos dominus, tēporali ſcilicet, & æterna. Temporali quidē, igne de cælo deſcēdēte: & ęterna, quando mittetur diabolus in ſtagnum ignis ſuis cum miniſtris, beſtia ſcilicet, pſeudoprophetis, eiſque adhærentibus, qui gehenna cruciabūtur die ac nocte, id eſt in æternū. *Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit terra & cælum, & locus non eſt inuentus in eis.*

Duplex impiorū contritio.

Thronus hoc in loco ſummæ poteſtatis Chriſti ad iudicandum mundum typus eſt. Candidus eſt autem iſte thronus iuſtitiæ dei, id eſt purus & mundus, eò quòd munda ac ſynceriſſi-

cerissima sunt eius iudicia. Quòd autẽ à conspectu eius fugerunt terra & cælum, hoc est quòd exurentur conflagrationis igne terra ac aërium cælum. Cæli enim procellæ in modum transibunt, & elementa æstuantia soluentur ac liquescent. secundæ Petri tertio: Et sic idem est sensus cum sequenti, cum dicitur, Primum cælum abiit, & prima terra: eritque nouum cælum, & noua terra, quia noua erit eorum facies. *Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni: & libri aperti sunt.* Quia non est homo qui mortem non sit visurus ante Christi iudicium. Resurgent autem singuli siue magni siue pusilli, siue boni siue mali: & tunc stabunt ante tribunal Christi. Oportet enim nos omnes ante illud manifestari, vt secundæ Corinth. 5. dicitur. Ipsis autem ante Christũ congregatis, tunc libri aperientur, quia illuminabit abscondita tenebrarum: & reuelabit consilia cordium: & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit, & dies domini decla-

Cõflagratiõis ignis.

Quid libros aperiri extremo in iudicio.

rabit. Sunt enim multa opera hominibus tecta & ignota, ſicuti ea quę in obſignato deſcripta ſunt libro. Sic demũ libros aperire idem eſt quod abdita reuelare. *Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ.* Ipſe liber eſt prędeſtinatio, qui ad iudicium vſque fuit obſignatus: tũc autem aperietur, quia palam fiet qui ſint prædeſtinati, & è regione qui reprobi. Huiuſmodi autẽ libris apertis quid futurum ſit, ſubdit: *Et iudicati ſunt mortui ex iis quæ ſcripta erãt in libris ſecundũ opera ipſorum.* Hoc itaque pacto, vt qui bona egerunt, eant in vitam æternam: qui autem mala, in ignem æternum. Vnuſquiſque enim referre debet ſecundum quod geſſit in corpore ſuo, ſiue bonum, ſiue malum. Iudicabuntur ergo mortui omnes ſecundum eorum opera. *Et dedit mare mortuos ſuos, qui in eo erant.* Id eſt, etiam qui ſubmerſi ſunt, reſurgent, licet eorum non appareant corpora. *Et mors,* dedit mortuos ſuos, id eſt vniuerſi quoquo modo occiſi ſint, etiam damnati & in cineres redacti, ſuſcitabuntur. *Et infernus* dede-

Prædeſtinationis liber obſignatus.

dederunt mortuos suos. Id est, Etsi damnati sint perpetuò cruciandi, tamen eorum animæ in resurrectione ad corpora redibunt, neque hanc ob rem à pœna liberabuntur. Conclusio, *Ob resurrectionẽ à pœna nõ liberabũtur dãnati.*

Et iudicatum est de singulis secundum opera eorum. Quia quæ seminauerit homo, hæc & metet. Dum igitur tempus habemus, operemur bonum.

Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Infernus, id est qui ad infernum pertinent reprobi, cum eos adiudicauerit Christus inferni cruciatibus, dicens, Ite maledicti &c. tunc in stagnum ignis siue in inferni profundum: & mors, id est diabolus qui peccati est author, vna cum reprobis hominibus in stagnum ignis mittetur. Hinc dicit Christus ignem illum diabolo & eius angelis esse paratũ. *Diabolus cur mors dicatur.* *Hæc est mors secunda.* Mitti scilicet in stagnum ignis. Damnatio enim animæ & corporis, secunda mors est, post primam corporis mortem: aut animæ per peccatum, vt prius dictum est. A prima enim morte, siue animæ per peccatum, siue corporis

resurgere quidem possumus, nullatenus verò à secunda. *Et qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* In genere de vniuersis concludit reprobis, eos scilicet omnes vnà cum diabolo & eius angelis mitti in gehennam ignis, qui non sunt scripti in libro vitæ, id est ab æterno prædestinati ad vitam ęternam. Hij enim soli à Christo ad vitam conuocabuntur, quibus paratum est regnum patris ab origine mundi, siue ab æterno.

Quid nō scribi in libro vitæ.

Finis sexti libri, ac sextę visionis.

CAPVT XXI.

Liber septimus, & septima visio.

Summariè obseruanda.

Primùm cælorum ac terræ describitur innouatio.
Secundò de Hierusalem noua admodum peccata prædicantur.
Demum loquēs Christus introducitur, & de Hierusalem sublimia subnectuntur.



T vidi cælum nouū, & terram nouā. Primum enim cælū & prima terra abiit, & terra iam non est. Hæc septima visio septimo quadrat diei, ĩ quo requieuit deus ab omnibus operibus suis: & hunc sanctificauit Gene. secundo. Et proinde Israelitis iussit postmodm sex diebus operari, septimum vero sabbathum illis esse voluit. Exod. vicesimo. Quòd autem deo fuerit tanta diei septimi cura, id fuit propter *Quare diei septimū tanta deo fuerit cura.*

verum ſabbathum quod figurabat, quod quidem eſt ipſa requies & pax ſanctorum, de qua hac in ſeptima viſione dicendum eſt. Quemadmodum enĩ poſt ſex operis & laboris dies ſabbathum, id eſt quietis dies ſequitur, ita poſt ſex pręcedentes viſiones (in quibus penè omnia malis laboribus & electorum crucibus, iudiciiſque diuinis in reprobos, referta ſunt) hæc viſio ſeptimo ponitur loco velut ſabbathũ domini, in qua glorioſiſſimum filij Dei deſcribitur ſabbathum, ſitum quidem maximè in hoc, quòd omnis labor, dolor ac afflictio penitus ſupprimẽtur, & pax ſumma, indeficiẽs quoque gaudiũ ſubſequentur. In primis autẽ vidẽdum de cæli & terræ innouatione, cũ dicat: Vidi cælum nouum, & terram nouam, non quidem quo ad ſubſtantiã, ſed quo ad qualitates, vt prædictum eſt, quomodo cælum & terra tranſibunt, in melius cõmutata, ab omni ſcilicet alteratione & corruptione aliena, ſecundum quæ abiiſſe dicũtur. Mare autem ſimul tranſibit, non quòd aquæ elementum deſinat eſſe, ſed quia forſan poſthac

Verũ ſabbathum.

Quonam pacto cælũ terra, & mare nouata dicantur.

amarum

amarum, terreum, ac salsum minimè existat, sed in summam euadet perfectionem. Erit itaque sicut aqua pura elementaris. Haudquaquam mysticè (mea quidem sententia) vt pleriq; volunt, hæc sunt exponenda. *Et ego Ioãnes vidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cælo, à deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Hæc ciuitas sancta, quæ est ciuium vnitas & pax, omnium sanctorum typus est, qui post iudicium anima & corpore erunt glorificati. Hinc dicuntur Hierusalem, quia visio pacis, quæ est visio dei. Horum autem omnium congregatio noua dicitur ciuitas, propter nouam corporum glorificationem quæ tunc post iudiciũ erit. Et descendere insuper de cælo dicitur à deo parata sicut sponsa, eò quòd dei gratuitis donis ornabitur, vti corporis claritate, agilitate, immortalitate: quæ omnia de cælo descendere dicuntur, eò quòd dei beneficio & gratia conferantur, & omne datũ optimum & donum perfectũ desursum est descendens à patre luminum. Non igitur motu locali, sed emanatione tan-

Quib⁹ ornabuntur dotib⁹ sancti post resurrectionem.

tùm de cælo descẽdere dicitur, quia do nis ornatur cælestibus. *Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculũ dei cũ hominib⁹: & habitabit cũ eis: & ipsi populus eius erunt, & ipse deus cum eis, erit illorum deus.* quasi dicat: Deus & homines tũc vnà habitabũt, electi.s.cum deo, cũ tradiderit regnũ Christus deo patri. Erit enim deus omnia in omnibus, vt 1.Cor.15.dicitur. In ipsis quidem electis habitabit deus per gratiam, qua & efficientur & dicẽtur populus eius: & per adoptionis spiritum eorum dicetur pater & deus. *Et absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorũ: & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, quæ prima abierunt.* Hęc prius dilucidata sunt, quæ quidem in figura Esa.65. habentur, vbi de populi dei felicitate post reditum è captiuitate Babylonica futura cecinit, dicẽs: Exultabo (inquit) in Hierusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in ea, vltrà vox fletus, & vox clamoris &c. quasi dicat: Procul ab eis erit omnis dolor & luctus, idque quia prima abierunt, quæ videlicet cum adhuc hac in solitudinis

&

& miseriæ via sumus, patimur. Hinc iure dicere poterunt beati: Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Luctus quoque noster in gaudium versus est, sicut & Lazari luctus, qui prius mala receperat, & scelestus ille diues bona: qua de re illi dictum est: Recordare quòd bona recepisti &c. Et concludendum videtur quòd sicut procul est à beatis luctus, ita & procul est à damnatis gaudium, quod quidem adumbratum est per guttam aquæ ipsi epuloni denegatæ. *Et dixit qui sedebat in throno, Ecce noua facio omnia.* Hæc est præcedentium clonclusio, quòd sicut deus hominum innouabit corpora, cum mortale fiet immortale, corruptibile incorruptibile, primæ ad Corinthios decimoquinto: ita omnia innouabit elementa, & omnia sensibilia permanētia, quæ omnia ad Christi verbum perficiētur. Hinc dixit qui sedebat in throno, id est qui deo est proximus, hæc dixit, *Scribe, quia hæc fidelissima sunt verba, & vera,* cum à deo sint, qui mētiri non potest, ad Hebr. 7. & qui se-

Procul à sanctis ab erit tandē omnis luctus.

Quid omnia facere noua.

ipſum negare non poteſt. Seipſum autem, qui veritas eſt, negaret, ſi falſa reuelaret. Cum igitur ab eo hæc deprōpta ſint & reuelata, indubie vera ſunt & fideliſſima. *Et dixit mihi, factum eſt.* Id eſt, cōpleta ſunt omnia quæ de filio hominis & futuro eccleſiæ ſtatu prædicta fuerant, de quibus in exordio dictum eſt hæc citò fieri oportere. Nunc autem dicitur quòd factum eſt, referendo ad tempus poſt diem iudicij, in quo noua fecerit deus omnia. *Ego ſum α & ω, initium & finis.* Quia his duabus literis incipit & deſinit alphabetum Græcum, ideo α initium deſignat, & ω finem. Eſt igitur Chriſtus qui loquitur, initium & finis vt deus, quia omnia portat verbo virtutis ſuæ: à quo omnia initium habent, & in quem omnia tendunt & finiuntur. Sed vt homo, & caput eccleſiæ, ad huius reuelationis & præcedentium inſtitutum, initium & finis eſſe dicitur: initium quidem reuelationis, quia eam Ioanni reuelat, vt dictū eſt. Et eſt finis, quia totius apocalypſis ſcopus, aut eius eccleſiæ, quæ quidem eius eſt

Omnium finis Chriſtus.

corpus.

corpus. Quam ob rem cum dixerit, Factū est, illico addit, Ego sum finis, quasi dicat: Meum est adimplere, finem quoque imponere iis quæ hac in apocalypsi reuelata sunt. Aequo autem animo expectando tēpus illud in quo adimplenda sunt omnia, & ad electorum consolationem innouanda, pollicetur Christus fidelibus quod sequitur, *Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.* quasi dicat: Ego sum fons viuus, à quo indesinenter scaturiunt & emanāt immensæ dei gratiæ in eos qui sitiunt siue esuriunt iustitiam. Si quis igitur sitit, veniat ad me & bibat. Ioan. 7. Idque gratis, subaudi, dabo ei aquam viuam, quia nemini debitor est de⁹, & Christi merito nobis spiritussancti charismata conferuntur. De plenitudine enim eius omnes accepimus. *Qui vicerit, possidebit hæc.* Alii legunt, omnia, quasi dicat, vitam æternam, quæ omnia bona complectitur, possidebit, omniumque bonorū deo conferente erit particeps. Est enim vita æterna omnis boni possessio, & totius priuatio mali. *Et ero illi deus, & ille erit mihi filius.* Id est vt deus,

Christus fons viu⁹.

pater illius meam ei conferam hæreditatem, & ipse vt filius meam hæreditatem possidebit, vt sit heres dei, & cohæres Christi. Ad Rom. 8. Qui igitur deum habet patrẽ, omniũ illius bonorum hæres effectus est. Totis itaq; viribus studendum est vt viriliter decertemus, nullatenus hosti locum cedẽtes, quia nemo coronabitur nisi qui legitime certauerit. Postquam vero vincenti omnium bonorum pollicitus est abundantiam & copiam, nunc impiis è regione omnium pœnarum comminatur acerbissimã, vt sequitur, *Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnib⁹ mẽdacibus, pars illorũ erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Reprobis ignem comminatur æternum, quorum nonnulli sunt timidi .i. desides & incõstantes, hi .s. in quibus viget nulla spirit⁹ fortitudo, sed pusillanimitas: qui etiã diuinæ nõ credũt promissioni qua pollicetur se suis haudquaquã defuturũ, imò & opẽ laturũ. Vñde dicuntur simul & increduli, quia timor & pusillanimitas ex incredulitate

Hæres dei quis sit.

Qui timidi dicantur.

dulitate habent originem. Alij sunt execrati i. à fideliũ consortio & ecclesia iuste expulsi, resipiscere nolẽtes, sed ipsissimam veritatem abhorrentes & blasphemantes, qua de re iuste eos abominatur deus. Hinc execrati non immeritò dicuntur. Latinis enim execrari, horrori & abominationi esse planè sonat. q. igitur d. eos ob eã caussam esse deo abominationi, quia veritatem abominãtur. Qui sint cæteri de quibus hic agitur, interpretatione haud indiget. Colligendum itaque omnium impiorũ & reproborum portionem in igne esse ęterno, Christo dicẽte, Ibunt hi in supplicium æternum. Qua autem ratione dicatur stagnũ ignis, siue gehẽna mors secunda, prius dictum est. *Et venit vnus de septem angelis habentibus phialas plenas septem plagis nouißimis, & locutus est mecum dicens, Veni, & ostendam tibi sponsam, vxorem agni.* Quis angelus, quæ phialæ & plagæ, ex superioribus colligendum est, capite scilicet. 16. Hic porrò angelus Ioanni pollicet se descripturũ quæq; sublimia ecclesiæ Christi triũphãtis siue Hierusalẽ

Execrari quid.

cæleſtis Hieruſalem: & hoc eſt oſtẽdere ſponſam agni ſiue gloriam Chriſti eccleſiæ futuram multis ac variis typis, vt ſequitur.

Secunda pars.

ET *ſuſtulit me in ſpiritu, in montem magnum & altum.* Ita Ioãnni videbatur, ad deſignandum quòd ei reuelanda erant per ſpiritum ſecreta cæleſtia, & ea maximè quæ ſuæ ſpõſæ deus præparauit, quæ quidem nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit: quam ob rem ſpirituali ei erat opus viſione, qua reuelanda aſſequeretur quæ de eccleſia ſunt triũphante, vt ſequitur. *Et oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cælo.* Hæc in huius capitis exordio expoſita ſunt, *A deo,* hoc addunt Græci, eò quòd de cælo deſcendere ſit (vt prius dictum eſt) à deo gratiam recipere & gloriam. *Habentem claritatem dei.* Tum ſpiritualiter, tum corporaliter. In primis ſpiritualiter eſt dei habere ſcientiam participatione.

Habere claritatẽ.

Sic

Sic erunt sancti in verbo omnia speculantes. Erit enim eis deus speculum, sed voluntarium. Secundò corporaliter, corporali claritate. Expectamus enim dominum nostrum IesumChristũ, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratũ corpori claritatis suæ Cum enim apparuerit, similes ei erimus. Hinc Christus, Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris mei. *Et lumen eius simile lapidi precioso tanquam lapidi iaspidi sicut crystallum,* subaudi pellucido. Illius itaque ciuitatis lumen preciosissimo lapidi simile dicitur, tanquam iaspidi crystallizanti. Et per hoc cum typus sit & figura, designatur lucem & claritatem cælestis patriæ sanctorum oculis fore gratissimam ac iucundissimam instar viroris preciosissimi iaspidis crystallizãtis. Quia verò huius claritatis iucunditas prorsus omnem humanum facilè exuperat intellectum, hanc depingentes miris vtuntur metaphoris, hyperbolis, typis, schematibus & figuris, maxime autem collationibus iis ex rebus desumptis quas maximè admirari homines ac multi face-

re solent. *Et habebat murum magnum & altum.* Quis quæso hic murus? Dominus profectò est, qui Zach. 2. dicebat: Ego ero ei (Hierusalem scilicet) murus in circuitu. Murus enim illius typum gerit qui alterius est custos, protector ac seruator. Nisi autem dominus custodierit ciuitaté, frustra vigilat qui custodit eam Sensus idcirco huiusmodi est, quòd tuta sunt illic omnia, quia illius ciuitatis murus siue custos dominus est, qui magnus & altus dicitur, id est admirabilis, gloriosus, & sublimis, quem prætergredi poterit nullus. *Habentem portas duodecim.* Cùm nemo hác sanctam ingrediatur ciuitatem nisi in Christum credat, & euangelio quod prædicauerunt vbique ipsi duodecim Christi apostoli, ipso domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis: propterea duodecim apostoli duodecim dicuntur portæ ciuitatis. Horum igitur fidem & vita imitemur oportet si in illam sanctam ciuitatem ingredi velimus. *Et in portis angelos duodecim.* Id est, apostolorũ coadiutores fuerunt angeli ad inducendos electos

De⁹ muru⁹ dictus.

Null⁹ nisi Christo & Euãgelio credens saluandus.

Apostolorũ coadiutores angeli.

electos in hanc sanctã ciuitatem. Horũ enim ministerio quilibet hãc ingreditur ciuitatem. Sunt enim in ministeriũ missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Angelis enim suis mãdauit deus &c. Quemadmodum igitur duodecim sunt portæ, ita accommodè duodecim assignantur angeli, quorum ministerio quilibet per aliquam ingreditur portam. *Et nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.* subaudi, erãt portis inscripta. Sed quid ꝙ tantum filiorũ Israelis nomina eis sint inscripta? Quia soli Abrahæ & eius semini promissa fuit omniũ hęreditas: nullus quoq; hãc ingreditur ciuitatẽ, nisi ad Abrahę semẽ attineat, non quidẽ carnaliter, sed spiritualiter. Ipse enim est pater in Christũ credẽtium. q. igitur. d. Omnes electi de semine sũt Abrahæ, spiritualiter intellige, qui scilicet eum fide & operibus imitantur. *Ab oriente portæ tres, & ab aquilone portæ tres, & ab austro portæ tres, & ab occasu portæ tres.* Cũ per portas 12. apostolos duodecim intelligamus, quorũ opera & ministerio in hãc introducãtur ciui-

tatem electi, hæc sancta ciuitas ternas dicitur habere portas, versus vnāquāque orbis plagam: quia sufficiēter Christi euangelium per apostolos in oriēte, aquilone, austro & occasu diuulgatum est. Vnde nonnulli electi venient ab oriente, occidente &c. ad apostolorum verbum, & accūbent in regno dei. Sit itaq; sensus, quòd apostoli duodecim Christi euangeliū sufficienter promulgarunt, ac regnū dei toto in orbe, vnde omnibus electis sufficiēter patet via qua sanctam ingrediantur ciuitaté. Et hoc pacto per tres portas patens adūbratur introitus. *Et murus ciuitatis habēs fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum agni.* Cum iam dixerimus deū ciuitatis murū esse, quia eius custos & protector: fundamēta eius sunt hi qui vnius dei & sanctæ trinitatis fidem ac cultum docuerunt. Hinc in his fundamentis sunt duodecim apostolorum nomina inscripta, eò quòd ipsi spiritus primitias habentes, prædicta docuerunt. Videtur siquidem textus seipsum exponere, cū addit nomina duodecim apostolorum inscripta

In quatuor mūdi plagis Euāgeliū sufficēter promulgatum.

in

in illis duodecim fundamentis, quasi dicat duodecim ipsos apostolos illa esse duodecim fundamenta.

Tertia pars.

ET qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam, auream, vt metiretur ciuitatem, & portas eius, & murum. Ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est, quanta & latitudo. Et mensus est ciuitatē de arūdine aurea per stadia duodecim milia, & longitudo & altitudo & latitudo eius æqualia sunt. Vt supra diximus cap. vndecimo: metiri est iudicare siue definire. Itaque mensura dei est iudicium, vt ibidem per calamum intelligi diximus: nunc autem per arundineam mensuram, quæ aurea dicitur, quia sanctum & iustum dei iudicium. Est igitur mensura arūdinea aurea, dei iudicium quo ciuitatem metitur, portas & murum, id est omnium ciuium merita considerat & diiudicat, maximè apostolorum per portas adumbratorum. Quòd verò murum etiam metiri dicitur, cum ipsemet sit murus, hoc

Quid metiri.

est quòd secundum suum æternum decretum & propositum remunerabũtur electi, hancque ingredientur ciuitatem. In metienda autem hac ciuitate occurrit in primis quadratura, id est stabilitas ac firmitas, quia in æternum stabit, sicut quadratum quamcunque iacias in partem, semper firmum ac fixum stat. Immutabilis siquidem cuiusque beati erit gloria, hunc in modum, vt neque augeri neque diminui queat, secundum dei propositum quod est immutabile. Estque de beatitudinis ratione, vt securus sit beatus de sua in gloria persistentia ac immobilitate. Quam ob rem aptè quidem ad hanc immutabilitatem & ciuium firmitatem seruandam dicitur hæc ciuitas in quadro posita.

Quadratura, stabilitatis typus.

Secũdò dicitur lõgitudo eius tãta quãta latitudo & altitudo, ita vt omnes dimensiones æquales sint. *Et mensus est ciuitatem per stadia duodecim milia.* Huius ciuitatis mensura est stadiorum duodecim milium, in singulis scilicet quadris; ita vt totus eius circuitus sit quadraginta octo milium stadiorum

diorum . Est autem stadium octaua pars miliaris,id est mille passuũ , nẽpe cẽtum viginti passus.Sed quid sibi vult quòd huius ciuitatis mensura diuisa sit stadiis ? Huius ratio talis assignatur , quia in stadio curritur ad assequendum brauium , & certatur.Nemo autem coronabitur nisi qui legitime certauerit . Ideo iuste huius ciuitatis mensura stadiis diuiditur ad sanctorum significandos agones & pro Christo certamina , & quòd vniuersi ciues qui ad eam spectant, fideliter currunt & pugnant Christi nomine . Præterea quòd assignatur numerus duodecim milium , referendus videtur ad duodecim tribus filiorum Israel , quorum nomina inscripta sunt portis , ad declarandum vniuersos Hierusalem ciues ex veris esse Israelitis , secundum Christi spiritum,vt iam dictum est.Neque quis potest saluari nisi sit verus Israelita, in quo dolus non sit . Quid verò insuper dicendum ad id quod asserit altitudinem scilicet,longitudinẽ & latitudinẽ, æqualia esse ? Nisi quòd omnes beati

Stadium.

Null⁹ saluatur nisi qui verus est Israelita.

æqualiter sunt beati ipsa beatitudinē essentiali, quæ denario designatur diurno, qui datus est tum nouissimis, tum primis, quanquam inæqualiter sint beati ipsa accidentali beatitudine, sicut dixerat Christus: In domo patris mei mansiones multæ sunt. & 1. Corinth. 15. Alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum &c: Aut dicas hæc eius tū amplitudini tū stabilitati attestari: nam superius in quadro positam dixerat. *Et mensus est murum eius cētum quadragintaquatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est angeli.* Te in primis memorem esse oportet eius quod diximus, deum scilicet esse murum, & quòd metiri est dei verbo definire & iudicare. Insuper notandum quid cubitus, quid mēsura est hominis & ange-

Christus brachium & manus dei.

li. Est autem cubitus typus Christi, vt brachium & manus. Brachium quidem dei esse ex multis sacræ scripturæ locis deprehendimus. Lucæ. 1. Fecit potentiam in brachio suo. Esa. 53. Brachium domini cui reuelatum est? Psal. 73. Redemisti in brachio populum tuū. Manum quoque domini esse satis constat,

ſtat,quandoquidem omnia per ipſum facta ſunt. Senſus itaque eſt,quòd ipſo Chriſto,qui menſura eſt hominis & angeli,quia & homo & magni conſilij angelus eſt, metitur quàm altus ſit murus, id eſt, quàm potens & fortis ſit cuſtos protector ſeruatorque noſter deus. Sed dices,quomodo ipſo Chriſto deũ metimur? Quia profectò in Chriſto habitat plenitudo diuinitatis. Ideo quanto quis perfectius Chriſtum noſcit,eo penitius murus ipſe qui eſt de⁹, quantus ſit videt,dicente Chriſto: Qui videt me,videt & patrem, quia ego & pater vnum ſumus. Demũ inquirendũ quid eſt q̃ centũ & quadraginta quatuor cubitorũ eſſe dicitur. Is numerus duodecies. 12. efficit: vt autem prædictũ eſt,numer⁹. 12. duodecim deſignat tribus Iſrael. Sẽſus igitur eſt,quod omnium qui ad duodecim tribus Iſrael ſemenque ſpirituale duodecim apoſtolorũ vere & ſpiritu pertinent,dominus eſt murus,id eſt protector, adiutor & cuſtos atque ſeruator: hoſque omnes protegit ſub vmbra alarũ ſuarũ. Per hos igitur numeros (non qui-

dem hoc in libro superstitiose obseruandos) tum duodecim milium stadiorum, tum centũ quadragintaquatuor cubitorum, amplissimum voluit describere electorum numerum qui illo munientur muro. Vnde Baruch cap. 3. O Israel quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius. Magnus est, & non habet finem: excelsus & immensus. Mysticam igitur omnium horum numerorũ attende rationem. *Et erat structura muri eius ex Iaspide.* Id est, huius ciuitatis murus est preciosissimus, aspectu amœnissimus, ac iucundus, qui tantũ mentis oculis conspici potest, deus videlicet ipse, sicut à beatis oculo mentis videtur: qua visione beatificantur primaria & essentiali beatitudine. *Ipsa verò ciuitas aurum mundum simile vitro mundo.* Sicut nil legitur fuisse in templo Salomonis quod non esset vel ex auro solido, vel obductum auro, vnde templi designabatur excellentia: ita hæc ciuitas sancta pro sui excellentia atque dignitate aurea dicitur, & vitro similis perlucido.

Amplissimus electorũ numerus.

Cælestis Hierusalẽ aurea.

lucido ob diuinæ cognitionis fulgorẽ, quæ tã tam sanctam irradiat ciuitatem, siue illius ciues. *Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide precioso ornata.* Huius ciuitatis duodecim prædixim⁹ fundamenta, quæ nunc omni precioso lapide ornata dicuntur, propter admirandum huius ciuitatis decorem idq; omnibus in suis structuris, maximè verò in fundamentis, quę sunt duodecim apostoli Christi, ac omnes verbi Dei ministri, eorum successores. Quia verò præ cęteris duodecim Christi apostoli specialius fundamenta dicuntur, hinc ad eorũ peculiarẽ laudem gemmarum duodecim enumerat genera, vt sequitur: *Fundamentum primum Iaspis, secundum Sapphirus, tertium Chalcedonius, quartum Smaragdus, quintum Sardonix, sextum Sardius, septimum Chrysolithus, octauum Beryllus, nonũ Topazius, decimũ Chrysopasus, vndecimũ Hyacinthus, duodecimũ Amethystus.* Duodecim hęc fũdamẽta ex pciosis lapidib⁹ oẽs designant virtutes quib⁹. 12. Christi apostoli qui. 12. sunt huius ciuitatis fundamenta (vt dictum est) exornati sunt.

Duodecim apostoli. 12. fundamẽta.

Vnde secundum Augustinum, diuersitas gemmarum in fundamentis, dona diuersarum gratiarũ quæ apostolis circa exordium data fuerunt significat, easdémque ferè gemmas quas in rationali summi sacerdotis Exo. 28. fuisse scribitur, & quib⁹ amiciebatur princeps Tyri Ezech. 18. Quarum si quem delectat vim scire, naturam quoque ac varietatem, legat Plinium historiæ naturalis lib. 37. Demum si mysticam horum lapidum quæras significationem, ex omnibus poteris colligere commentariis, vt ex Bedæ commentariis super Apocalypsim capite præsenti, & diui Hieronymi super Esaiam. 54 cap. super illud, Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris &c. Item ex scholiis Veronensibus. Neque opus est huiusmodi metaphoras, ac hyperbolas siue collationes curiosius & plus satis anxiè discutere, sed nobis sit satis tenelantis ac videntis intelligentiam habere, videlicet quòd per hanc admirabilem fundamentorum descriptionem designatur sublimitas, gloria, preciositas,

sitas, pulchritudo cælestis & supernæ ciuitatis Hierusalé, cum nil vsqueadeo tam sit preciosum quod visibile est, vt beatitudini cælesti ac ciuitati sanctæ comparari queat. Summariè idcirco deducit Ioánes, quòd ex his visibilib⁹ quibus nil preciosius, ad rerū inuisibilium preciositatem nos pertrahi oporteat, quandoquidem nec oculus vidit, nec auris audiuit &c. 1. Corinth. 2. Et quæ vidit Paulus, hominibus non sunt ob eorum sublimitatem reuelanda. Ad horum autem perfacilem intelligentiam conducunt quæ sequuntur. *Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas. Et singulæ portæ erant ex singulis margaritis. Et platea ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum.* Id est, portæ singulæ ex singulis erant margaritis, ita vt totus portæ cuiuslibet ambitus ex vna esset margarita. Vnde August. hunc in modum legit: Et vnaquæque porta erat ex vna margarita. Cum igitur duodecim portæ sint duodecim apostoli, & alij ministri verbi Dei eorum successores, per has preciosissimas margaritas desi-

Ex visibilib⁹ ad inuisibilia nos oportet pertrahi.

gnatur eos spūs primitias habuisse, ac meliora charismata. Vnitas verò margaritæ singulis in portis significat hos omnes in vnum Christum conuenisse, qui ostium est & verum & vnicum. Scopus enim omnium eorum sicut legis, fuit Christus. Sensus igitur est, quòd sicut solent vrbium portæ præcipue & robore & ornatu insigniri, ita Christi apostoli præ cæteris insigni fulgore in donis Dei & gloria pollent: quibus dicebat Christus: Vos qui secuti estis me, & cæte. Vt eorum præeminentem demonstraret gratiam. Cum autem subdit, quòd ciuitatis platea erat aurum mundum &c. quasi dicat: Illa ciuitate nil preciosius, & nil ineffabilius est gloria ei⁹. Ad quam oculatè perpēdendam haud parum efficiet, si omnes textus qui de eius maxima agunt gloria, mediteris; vt illos qui Esaiæ. 60. 65. & 66. & Tobiæ. 13. habentur, & similes. Quāquam peregrinantis ecclesiæ mysteriis omnino quadrare videantur, in primis tamen de gloria ipsius ecclesiæ in futuro seculo intelligenda sunt.

In Christo omnes conuenerunt.

Ineffabilis gloria ciuitatis Hierusalem cælestis.

Et

Et templum non vidi in ea. Dominus enim deus omnipotens templum illius est & agnus. quasi dicat, nullo indigent templo materiali in cælesti ciuitate Hierusalem, quia deus agnus illis est templi loco, eò quòd fideles in eo, scilicet in nomine agni, seipsos ipsimet Christo sacrificant: quamobrē agnus Christus Iudæis dicebat: Soluite templum hoc &c. Sēsus igitur est, ꝙ Christus verus agnus templum est in cælo, eò quòd in eius nomine cuncta sint Deo & grata & accepta. *Et ciuitas non eget sole neque luna vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus.* quasi dicat. Spirituali luce tantum opus habet, quæ lux agnus est, cum dixerit: Ego sum lux mundi: qua de re lucerna dicitur. Itaque Dei claritas siue diuinitas illuminabit eam, quæ est in Christi humanitate reposita, sicut lux in lucerna. In eo enim habitat diuinitatis plenitudo. hinc lucerna dicitur. *Et ambulabunt gentes in lumine eius*, ciuitatis scilicet, id est, Omnes illius ciuitatis ciues electi lux

Per Christum Deo cūcta grata.

Ambulare in lumine. erunt in domino. Ambulare enim in lumine eius, est lucem esse in domino. *Et omnes reges terræ afferent gloriã suam & honorem in illam.* Id est, ipsi reges & potentes seculi, non quidem omnes, sed hi qui ad dominum conuertuntur, & futuri seculi gloriam gloriæ & honori præsentis seculi anteponũt, hoc pacto honorem afferunt ipsi sanctæ ciuitati Hierusalem, sicut cũ quis anteponit aliquem alteri, ei honorem afferre dicitur. Quòd si reges contemnunt huius seculi gloriã, vt aliã nãcisci queãt: multo magis pleriq; plebei aut simplices id efficiunt. Est igitur illi ciuitati Hierusalem gloriam afferre & honorem, omnes huius seculi diuitias & honores contemnere, idque propter illam assequendam æternam gloriam, quod non modò pauperes, sed & reges faciunt. *Et portæ eius non claudentur per diem. Nox enim non erit illic.* Portæ vulgò adueniente nocte clauduntur maiorem ob securitatem. Quia verè illic dies sempiternus erit (nam lumen eius, deus scilicet & agnus, nunquam deficiet) idcirco non

Honorem afferre.

Deus lumen indeficiens.

eo non erit opus vt eius portæ claudantur. his verbis huius ciuitatis significat securitatem. *Et afferent gloriam & honorem gentium in illam.* Id est omnium electorum merita illic remunerabuntur, non autem aliorum, quia *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum aut abominationē faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.* Id est, nihil quod inquinat, aut est inquinatum siue inmundum, intrabit in eā, sed soli illi qui prędestinati sunt ad vitam æternā. Soli igitur electi qui sunt lucis filij, huius sunt ciuitatis. Faciat sua immensa bonitate deus, vt illis cō scribamur. Amen. *Electi lucis filij.*

CAPVT XXII.

Summariè obſeruanda.

Primùm à Dei & agni ſede emanans deſcribitur fluuius.
Secundò de vitæ ligno, duodecimq́; eius fructibus, & alijs quæ ſunt ciuitatis dei.
Demum operi manum imponens vltimam, fauſtè omnibus precatur Ioannes.



T oſtendit mihi fluuiũ aquæ viuæ ſplẽdidum tanquã cryſtallum, procedentem de ſede dei & agni. Qui à patre & filio procedit ſpiritus ſanctus eſt, qui fluuius eſt aquæ viuæ, id eſt fons & origo diuinæ gratiæ, quæ Ioannis quarto aqua dicitur viua. Et de hoc flumine inquit Dauid: Fluminis impetus lætificat ciuitatẽ Dei. Eſt igitur iſte fluuius copioſiſsimæ ac inæſtimabilis ſanctorum gloriæ typus, quæ ab exuberantiſsima eſt ſpiritus

Spiritus ſanct⁹ fluuio aquæ viuæ adæquatus.

ſancti infuſione. *In medio plateæ eius & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menſes ſingulos, reddens fructum ſuum & folia ligni ad ſanitatem gentium.* Lignum vitæ eſſe Chriſtum ambigit nullus, præter eum qui quid ſit Chriſtus ignorat. Ipſe enim eſt lignum vitæ, qui panis eſt vitę dans vitam mundo. Ipſe eſt illud lignū plantatum ſecus decurſus aquarū, fructum ſuum ſuo dans in tempore: cuius haud defluet foliū. Ipſe inquam ſummum eſt lignum pomiferum, de quo Ezechielis quadrageſimoſeptimo. Cuius fructus ſunt in cibum, & folia in medicinam. Eſt autem in medio plateæ ciuitatis Hieruſalem, qui faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis, ſcilicet viſione in verbo eos beatos reficiens. Præterea dicitur in vtraque fluminis parte eſſe, id eſt, hinc & illinc, aut vltro citroque obiectum eſt beatitudinis tum angelis tum beatis hominibus. Dixerat enim Chriſtus Ioannis. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, &c. Sed quis huius ligni fructus Af-

Chriſt⁹ lignum vitæ.

Quid in medio plateæ eſſe.

fert fructus duodecim per menses singulos. Cum duodecim sint menses, prout fructus duodecim, idem dicere videtur afferre fructus duodecim, & afferre per menses singulos. Sed per menses singulos idem prorsus est ac perpetuò, omnique tempore. Sensus igitur est quòd illud lignum vitæ Christus, dabit fructum suum omni tempore, id est in æternum: quandoquidē si fortunatæ insulæ ac fœlices habeātur regiones quarū arbores tātum binos in anno referunt fructus: multo magis fortunatissimus hic erit ager huius ciuitatis, qui in æternum dabit fructum suum, vitam scilicet ęternam, idque Christi merito. Hinc subdit eius folia ad sanitatem esse gentium: id est, Christi opera & merita applicabuntur gentib', id est illius ciuitatis ciuib' qui sunt electi. *Et omne maledictum nō erit amplius, sed sedes dei & agni in ea erunt: & serui eius seruient illi.* Id est, in ea nihil erit non benedictum sedente & regnante Deo & agno benedicto in ea. Quicquid enim mali videtur esse, plene auferetur in eius gloriæ reuela-

Menses singuli perpetuitatē signant.

uelatione. Sancti autem serui Dei & agni seruient illi, deo scilicet & agno, & hoc deum laudibus efferendo & gratias agendo, cum eum clare (vt sequitur) videbunt. *Et videbunt faciem ei⁹.* Id est sicuti est, facie ad faciem. *Et nomen eius in frontibus eorum.* Id est mira cum gloria mutuô agnoscent qua constantia nomen Dei in carne viuétes fuerint confessi, idque perpetuô fassuri, nominis Dei & agni palàm prę se ferentes confessionem. *Et nox vltrà non erit. Et non egebũt lumine lucernæ, neque solis lumine; quoniam dominus deus illuminabit illos: & regnabunt in secula seculorum. Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima sunt, & vera. Et dominus deus prophetarum misit, &c.* Hæc prius. 19. scilicet ca. exposita sũt, partim quoque. 1. Sic demum vltimæ visionis est finis.

Quomodo deo seruient sancti in patria.

Finis vltimæ ac septimæ visionis.

Sequitur huius libri Apocalypseos finis ac conclusio.



T dixit mihi, ne signaueris verba prophetiæ libri huius. Id est, ne obsignaueris occultaueris siue celaueris q̃ tibi detecta sũt ac reuelata, vnicuique reuelando suam secundum capacitatem, & fidei mensuram. Ista autem prophetiæ verba reuelare non est illas prophetias hoc in libro contentas interpretari, quia eas non est interpretatus Ioannes: sed est illas reuelare figuras ac typos, non autem ea quæ designabant. Pauca admodum eorum quæ viderit declarat Ioannes: in medium autem affert rationem quare illa non sint verba obsignanda. *Tempus enim prope est.* Id est, Breui admodum tempore hæc futura sunt quæ hic sunt conscripta: quãobrem non sunt obsignanda. *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est,*

Reuelare prophetiæ verba.

est, sordescat adhuc. Quasi dicat, hi qui impij esse volunt, fidelibúsque nocere, ac suis in sordibus volutari, id permitto, vt in dies fiant deteriores & impuriores, vt grauiori subinde subsint iudicio. Ex quo patet quàm horrenda sit erga peccatores Dei manus, & in eos qui in reprobam dati sunt mentem, cum Deo permittente ac derelinquente in peiora incidant facinora. Cum autem dicat, noceat, sordescat, non imperatiue, sed indicatiue sumitur: quia quod futurum est indicat, non autem quod fieri oporteat. *Et qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Id est, Sicuti permitto impios deteriores fieri, ita meis concedam electis, eósque inducam ad maiorem amplexandam sanctitatem, quasi dicat. Qui malum expetunt, malitia augebuntur. Qui autem bonũ, spiritus replebuntur fructibus. Hinc vnusquisque satagat declinare à malo, & facere bonum. Ideo subdit: *Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere vnicuique secundum opera sua.*

Horrenda dei manus.

Hoc est, si eximiam exoptes mercedē, bene operare, & de malis pœnitentiā age: quia nos citò oportet siue insperatè manifestari ante tribunal Christi, vt referat, &c. 2. ad Corinthios. 5. *Ego sum α & ω, prim⁹ & nouissim⁹, principium & finis.* Hæc primo sunt exposita capite. *Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.* Illi soli beati sunt, qui stolas suas, id est conscientias peccato maculatas pœnitentes & Christi innitentes merito, abluūt. His enim per fidem Christi meritum accommodatur, aut amplius per sacramentum, ita vt eorum potestas sit in ligno vitę, id est in Christi merito, qui est lignum vitæ, sine quo nil potest fieri. Ioan. 14. Et tādem per portas. i. tum Christi (qui verum est ostium) tum apostolorum imitando vestigia, ciuitatem ingrediētur sanctam, & sic in spe beati sunt. *Foris canes & venefici & impudici & homicidæ & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Id est, Extra hāc ciuitatē & foris sunt canes, id est

Quid stolā lauare.

crudeles

crudeles tyrāni, immūdi venefici, &c. Per hos oēs reprobos intellige & impios: quia vt prædictum est, nil intrabit coinquinatum in regnum cœlorū.

Ego Iesus misi angelum meum testificari vobis hæc in ecclesiis. Vt maiorem huic ꝓphetiæ adhibeant fidē auditores, ideo asserit Christus à se per angelum hæc Ioanni reuelata fuisse, vt tandem omnibus reuelentur ecclesiis. Sibi verò reuelanti credendum fore sequens approbat textus. *Ego sum genus & radix Dauid.* quasi dicat, Sum ille in quo & per quem vniuersæ adimplentur promissiones. Nam sum vt deus radix Dauid, vt autem homo, genus & germen eius. *Stella splendida & matutina.* Id est, Tenebrarum noctem & ignorantię expellens, cum sim veritas ipsissima: qua de re mihi indubiè credēdum est, & omnibus iis à me mediatè reuelatis. *Et spiritus & spōsa dicunt, veni.* Id est, spiritus sanctus in fidelium cordibus, ac Dei filiorum, qui Dei aguntur spiritu, & sponsa ecclesia Christo dicunt, Veni ô Christe ad reproborum iudicium, ad iniquitatum

Quomodo genus & radix Dauid Christus.

exterminium, ad reuelationem gloriæ filiorum Dei. Omnis enim creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc hanc expectans reuelationẽ. *Et qui audit, dicat, veni.* Chriſtianus quilibet hæc audiens præſcripta, magno dicat animo tum ſpiritu & ſponſa Chriſto ipſe. Veni, ſicut dicebat pſalmiſta. Quẽ admodum deſiderat ſeruus &c. Fuerunt mihi lachrymæ meæ &c. Ea autem gratia & Paulus dicebat, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Ingemiſcimus in hoc tabernaculo, &c. 1. Cor. 4. *Et qui ſitit, veniat: & qui vult accipiat aquam vitæ gratis.* Si quis Dauidis inſtar ſitit inquientis, Sitiuit anima mea ad deum fontem viuum: veniat affectu deo prebens cor ſuum, ac eius obediẽdo præceptis. Et tunc gratis vitam accipiet æternam, non ex operibus in ſe conſideratis, ſed vt ex dei emanãt gratia. Et ſic dicitur gratis dari vita æterna, quia etiam gratis opera bona & deo cooperante perficiuntur. *Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius, Si quis appoſuerit ad hæc, apponet*

Gratis datur vita æterna.

net deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta. Obtestatur ne quis addat aliquid huic libro tanquam aliquid huius libri aut prophetię: & ne quis diminuat, id est aliquid non esse huius libri attestetur qđ ad eum interim attinet. Et nota aliud esse huic libro addere quidpiam tãquã de hoc libro, aut simpliciter addere huic libro: quia primum nephas est, cũ sit mendacium. Sed secundum licet, cũ ad corroborationem & obseruationẽ huius libri facit. Sicut ancilla prodest domine, ita lex humana ad obseruationem legis diuinæ quandoque prodest. Non contra legem aliquod addendum præceptum, sed accommodè ad maiorem obseruationis legis efficaciam tradendam. Summariè ideo deducit hos omnes qui huic addũt textui, aut illum sinistrè interpretantur, aut abbreuiant, aut damnant, aut efficiunt vt suis patrocinetur mendaciis, damnatum iri, atque deleri de libro vitæ, id est cum reprobis damnandos

Libro addere, vel diminuere de eo.

esse. *Et de his quæ scripta sunt in libro isto, dicit qui testimonium perhibet istorum.* quasi dicat, nil addubitandum est de veritate prædictorum, quia à deo reuelata sunt quæ hic describuntur. Et de his omnibus testimonium perhibet Ioannes, se videlicet à deo accepisse, & non ab homine. Qui autem accepit à deo immediatè, & testimonium perhibet, est Christus Iesus: qui hic loquens introducitur dicens, *Etiam, venio cito,* Ad reddendum scilicet vnicuique secundum opera sua. Ioannes autem id suspirans, mirumque in modum expetens filiorum dei reuelari gloriam, & impiorum vltionem, dicebat, *Amen,* id est, sit ita *Veni domine Iesu.* Expectamus enim dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ. ad Philip. 3. Et quia mortui sumus, & vita nostra abscondita est cum Christo in deo: ideo à nobis summopere expectendum cum diuo Ioanne vt citò veniat dominus Iesus. *Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* Apostolica hæc salutatio est, quam suis

epiſtolis præmittere ac ſubiunge-re conſueuit. Et quia ſola domini noſtri Ieſu Chriſti gratia ſalus contingit credentibus, hanc omnibus peroptát. Vbi enim ſpiritus, ibi libertas: nō quidem carnalis, ſed ſpiritualis. *Amen,* optantis ac ratum habentis ſiue confirmantis eſt. Peroptemus ideo omnes vt Chriſto ad iudicium properante, in ciuitate ſancta ſit noſtra portio in terra viuentium: quam quidem non parum vehementer piis omnibus Chriſtianis, qui noſtra hæc commentaria, qualiacunque fuerint, boni conſulentes legerint, exopto ad dei optimi maximique laudem, patris inquam, & filij, & ſpiritusſancti.

Vera libertas.

Amen.

PARISIIS,

Excudebat Gulielmus Tiboutius in vico vulgò nuncupato, Alxandri Angli, ſub inſigni Pauonis. M.D. XLIX.

Deo opt. max. gloria.